



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dispytatio IX. De objecto fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

DISPUTATIO IX.

De obiecto fidei.

DUBIUM I.

Quod sit subiectum ac obiectum materiale fidei?

I
Durand.Subiectum aliud inhæ-
sionis, aliud attribu-
tionis.
Quomodo
hoc distin-
guatur ab
obiecto.

Ro resolutione Nota cum Durando in Prologum sentent. q.5. initio, obiectum scientiæ materiale distingui ab ipsius subiecto (loquimur autem non de subiecto inhæsionis, quod constat esse intellectum, sed de subiecto attributionis.) quod propriè loquendo obiectum scientiæ sit id, quod scitur, siue ipsa conclusio, quæ in demonstratione inferitur, siue demonstratur: subiectum verò est ipsum subiectum conclusionis, siue id de quo passiones aliæ attributa demonstrantur: v. c. demonstrat aliquis hominem esse risibilem, hæc propositio, *Homo est risibilis*, erit obiectum illius scientiæ: homo verò erit eiusdem subiectum. Solent autem aliqui id vocare obiectum principale siue primum, quia quæcumque in ea scientia tractantur, ad ipsum subiectum eiusque cognitionem referuntur. Quidam id vocant obiectum quod scitur aut creditur: sed melius hoc nomine vocatur ipsa propositio quæ scitur aut creditur. Subiectum autem propriè dicitur id de quo aliquid scitur aut creditur.

Subiectum non est id quod creditur, sed id de quo aliquid creditur aut scitur.

2
Durandus.

Primò, igitur Durand. suprà docet, subiectum Theologiæ prout accipitur pro habitu, quo mysteria fidei credimus, siue pro ipsa fide, esse actum meritorium. Probat Primò, quia id in quavis doctrina est subiectum, cuius cognitio est proximus finis illius doctrinæ: sed talis in doctrina fidei nobis per Scripturam explicata est actus meritorius: ergo hic est illius subiectum. Minor patet, quia 2. ad Timoth. 3. dicitur: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* vbi tota doctrina fidei eò videtur referri, ut sumus perfecti in opere bono.

2. Tim. 3.

Secundò, quia id est subiectum alicuius doctrinæ quod in ea primò & per se consideratur, & ad quod reliqua in ea tractata referuntur: atqui talis in doctrina fidei est actus meritorius (tota enim Scriptura etiam quatenus nos instruit in cognitione Dei, eò tendit, ut doceat nos, quia ratione benè viuere, & vitam æternam mereri possimus:) ergo hic est subiectum fidei.

3

August.

Secunda opinio docet, Deum esse quidem subiectum fidei, non tamen sub ratione deitatis absolute sumpta, sed sub ratione saluatoris aut glorificatoris. Probat Primò, quia D. August. lib. 14. de Trinitate cap. 1. docet, fidem age-

re de ijs rebus, quibus vitam æternam adipisci-
mur, & fidem de rebus æternis esse ad hoc
necessariam: ergo fides agit de Deo, quia salua-
tore & glorificatore. Probat Secundò, quia
obiectum caritatis non est Deus absolute sum-
ptus, sed prout est auctor rerum supernatura-
lium: ergo simili ratione est subiectum fidei.
Terriò, quia Apostolus ad Hebræos 11. docet, *Hebr. 11.*
accedentem ad Deum debere credere quia est,
& iniquis rebus se remuneratur sit; quod secun-
dum Apostolum videtur addere, ut ostendat
sub qua ratione Deus sit primum subiectum
fidei. Ita Gregorius qu. 4. prologi, a. 2. Marfilus
ibid. q. 2. a. 5. Albertus in 2. d. 1. a. 2. qui quamuis
loquantur de subiecto Theologiæ, tamen idem
videntur sentire de fide; quam sub Theologia
videntur comprehendere.

Gregorius.
Marfilus.
Albertus.

Tertiò, Caluinus l. 2. Instit. cap. 4. contendit
Christum etiam pertinere ad obiectum prima-
rium fidei; quia Scriptura sapissimè à nobis ex-
igit fidem in Christum.

Caluinus.

CONCLUSIO I. Subiectum principale fidei
est Deus absolute sumptus, siue sub ratione dei-
tatis. ita D. Thomas 1. p. q. 1. a. 7. Vasquez ibi-
dem disp. 10. Caietan. 2. 2. q. 1. a. 1. ad 1. dub. Tur-
rian. ibid. disp. 1. dub. 1. Valentia ibid. disp. 1.
qu. 1. puncto 1. Malderns ibidem sect. 2. & ceterè
communiter alij.

D. Thomas.
Vasquez.
Caietan.
Turrian.
Valentia
Malderns.

Probat, quia, ut ostendi ex Durando n. 1.
illud est subiectum alicuius scientiæ quod in
præcipuis ipsius conclusionibus habet rationem
subiecti, & simili ratione in doctrina fidei id
debet dici subiectum, siue (ut alij loquuntur)
obiectum materiale principale, quod in præci-
puis fidei articulis qui primò & per se credendi
nobis proponuntur, habet rationem subiecti:
atqui hoc in doctrina fidei est Deus quia Deus:
ergo ut sic est subiectum fidei. Minor probatur:
quia articuli qui primò & præcipuè nobis pro-
ponuntur credendi, sunt hi: *Deus est. Deus est tri-
nus & vnus. Deus creauit omnia. Deus est noster finis,
beatitudo, saluator, &c. Deus est factus homo, &c.* in
quibus omnibus Deus est subiectum.

Nec refert quòd actus quo hæc credimus sit
meritorius; hoc enim nihil facit ad rem: nam
hic solùm querimus quod sit obiectum illius
fidei quia illa credimus: quod patet nullo mo-
do esse actum meritorium, sed Deum. nam in
omnibus illis propositionibus fidei Deus est
subiectum: in nulla autem earum actus merito-
rius est subiectum.

Probat Secundò, quia illud est subiectum
alicuius doctrinæ, ad cuius cognitionem reli-
qua in ea explicata referuntur. ut etiam Du-
randus & alij fatentur: atqui hoc in doctrina fi-
dei est Deus quia Deus: ergo Deus ut sic est sub-
iectum fidei. Minor probatur, quia tota doctri-
na fidei eò refertur, ut cognoscamus quis, qua-
lis,

5

Prover. 16.

Deus deo
omnia crea-
uit ac nobis
mytheria fi-
dei reuela-
uit, ut eum
cognosca-
mus.

6

Propositio
nequit esse
subiectum
alicuius do-
ctrinae.

lis, quantusque in se sit Deus; & qua ratione eum colere, eique servire debeamus. Sicut enim (ut dicitur Prover. 16.) *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, ut scilicet per ea semetipsum suamque gloriam ac sapientiam nobis manifestaret (iuxta illud psalmi 18. *Calamitates gloriam Dei, &c.*) ita ob eandem causam mytheria fidei nobis reuelauit, ac credenda proposuit.

Probatur Tertio, contra secundam sententiam. Quia subiectum scientiae alterius doctrine non est aliqua propositio in ea demonstrata aut docta, sed id de quo alia demonstratur aut docetur: atqui Deum esse glorificatorem aut saluatorem sunt propositiones, quae a fide docentur, & nobis credenda proponuntur: ergo non sunt subiectum fidei: sed id huius est subiectum, quod in illis habet rationem subiecti; scilicet Deus secundum se consideratus.

7

Ex his patet responsio ad argumenta contraria. Ad primum Durandi, nego minorem. iam enim ostendi, proximum finem doctrinae fidei esse cognitionem Dei. Ad probationem, Respondeo inde solum sequi, sacram Scripturam esse vtilem vt nos instruat in cognitione Dei, siue in doctrina fidei ac in cultu Dei, quo eum per bona opera colimus; itemque ad arguendum eos, qui in his errant. Ex quibus sequitur, cognitionem Dei esse proximum finem doctrinae fidei, & cognitionem operis boni esse eiusdem finem secundarium; quatenus haec cognitioni ac cultui Dei deservit.

Ad secundum, nego minorem eiusque probationem, secundum eum sensum quo a Durando sumitur. nam etsi Scriptura ubique id agat, vt nos ad bona opera excitet; tamen haec ipsa ad vltiorem finem refert, nimirum ad manifestationem diuinæ maiestatis ac bonitatis, eiusque gloriam ac cultum; vt iam ostendi.

8

Ad primum argumentum secundae sententiae, Respondeo, inde solum sequi, fidem inter cetera nos docere, qua ratione possimus bene viuere, & vitam aeternam consequi: quod contra nos non facit.

Ad secundum, nego antecedens; nam supra disp. 5. dub. 3. satis probaui contrarium.

Ad tertium, nego consequentiam: nam Appositum ibi solum adfert duo obiecta siue propositiones fidei, quas incipientes ad Deum conuertere initio debent credere: scilicet Deum esse, & esse remuneratorem; in quibus Deus absolute sumptus est subiectum: quare hic locus potius nostram sententiam probat; eumque adherentes errant, non distinguentes obiectum quod creditur, a subiecto, siue ab obiecto, de quo aliquid creditur.

Ad argumentum Caluini, Respondeo id solum probare, Christum qua Deum esse subiectum fidei primum, & qua hominem esse subiectum secundarium, quod libenter fatemur, imò plurima sunt alia quae possent dici subiecta secundaria fidei, v. c. B. Virgo, quam credimus esse virginem, matrem Dei, &c. Item anima rationalis, quam credimus esse immortalem. atque adeo ea omnia, de quibus

aliquid fide diuina credimus. Quamuis quia de his pauca credimus, eaque quasi per accidens propter subiectum principale reuelata; haec non tam videntur debere dici subiecta fidei (quae integrè omnes res reuelatas respicit) quam subiecta alicuius particulae aut propositionis fidei.

CONCLUSIO II. Obiectum quod siue materiale nostrae fidei generatim sumptum est omne id, quod Deus nobis per se vel per alios reuelauit. Patet, quia id est obiectum materiale fidei, quod fide diuina credimus, sed omne à Deo reuelatum est tale: ergo est obiectum materiale fidei. Ex quibus patet, non solum propositiones naturae suae necessarias; sed etiam ex se contingentes (quales sunt haec: *Christus passus est. Antichristus nascetur*, & similes) hoc ipso, quo à Deo sunt reuelatae, esse obiectum fidei: quia etiam ratione sunt omnino necessariae ac infallibiles.

Addunt aliqui, omne à Deo reuelabile esse obiectum fidei, quia id omne est obiectum fidei, quod potest fide diuina à nobis credi: sed omne à Deo reuelabile potest à nobis fide diuina credi: ergo est obiectum fidei.

Sed si minor huius argumenti propriè intelligatur, quasi omne à Deo reuelabile sit actu iam tale, quod possit fide diuina credi, falsa est: nam vt aliquid sit tale, non sufficit quod possit à Deo reuelari, sed opus est vt sit reuelatum. Sicut igitur vt possim aliquod coloratum videre, siue vt actu verè sit obiectum visibile, non sufficit quod à Deo possit illuminari, sed requiritur vt sit actu illuminatum: aliàs non est actu, sed solum potentia obiectum visibile: ita etiam vt aliquid non solum potentia, sed actu sit obiectum fidei, debet actu esse reuelatum.

Disputant praeterea hic aliqui, vtum omnia obiecta fidei aequaliter ad eam pertineant. Sed facilis est responsio. Dicendum enim est hac ratione omnia aequaliter ad fidem pertinere, quatenus omnia saltem implicite aequè firmiter credenda sunt; atque adeo etiam explicite, quando sciuntur à Deo esse reuelata, aut sufficienter tamquam à Deo reuelata, nobis sunt proposita, ita vt omnis dubitans an res aliqua sit vera, quantumuis aliàs minimi videatur esse momenti, quam scit à Deo esse reuelatam, aut aperte in Scripturis contineri, aut ab Ecclesia vt talem fidelibus credendam proponi, verè sit haereticus, non minus quam si de alia re maximi momenti dubitaret, quia implicite negat Deum esse infinite veracem.

Alia tamen ratione quaedam minus principaliter ad fidem pertinent, quatenus non tenemur omnes articulos siue propositiones fidei aequaliter cognoscere; & consequenter nec aequaliter explicite credere. vt infra ostendamus.

Aliud est
subiectum
fidei, aliud
subiectum
propositio-
nis, quae de
fide est.

9

Obiectum
quod siue
materiale
fidei.

Propositio-
nes ex natu-
ra contin-
gentes pos-
sunt esse ob-
iectum fidei.

10

Non omne
reuelabile
est actu ob-
iectum fidei.

11

Vtrum om-
nia obiecta
fidei aquali-
ter ad eam
pertineant.

12

do et hinc
- totum
- iam

DVBIVM

D V B I V M II.

Utrum obiectum fidei sit aliquid complexum, siue compositum?

12
D. Thomas.

Responder D. Thomas 2. 2. qu. 1. a. 2. obiectum fidei esse aliquid simplex in se, quia Deus est in se simplicissimus sine ulla compositione; prout tamen a nobis concipitur, esse aliquid complexum, quia diuersa Dei attributa, quæ in Deo res vna & simplicissima sunt, nequimus ut talia perfecte concipere, sed necessarium ea concipimus distinctis conceptibus, atque ita concipimus ea Deo conuenire per quādam compositionem. Pro cuius maiore explanatione, Nota obiectum fidei quadrupliciter posse accipi. Primò, pro ipso subiecto fidei siue primario siue secundario. Secundò, pro propositione externa qua aliquid de subiecto fidei enūciamus. Tertiò, tropicè pro ipso conceptu mentis, quo obiecta fidei concipimus. Quartò, pro rebus huic conceptui respondentibus.

Quæ in Deo simplicia sunt vt complexa concipimus.

Obiectum fidei quadrupliciter accipitur.

13

Respondeo igitur Primò, obiectum fidei primo modo acceptum si intelligatur de primario, cum hoc sit ipse Deus, est res omnino simplex; si verò accipiat pro secundario obiecto, est quidem res aliquo modo composita (quia Christus est compositus ex anima, corpore & diuinitate) potest tamen aliqua ratione dici simplex, quia res est substantialiter vna.

14

Respondeo Secundò, si obiectum accipiat secundò & tertio modo, est res aliqua complexa, quia omnis propositio componitur ex subiecto & prædicato; & similiter conceptus noster ei respondens. Secus tamen contingit in conceptibus Beatorum atque etiam angelorum, saltem circa ea, quæ de natura diuina, eiusque attributis cognoscunt: quæ sine ulla compositione concipiunt. quamuis fortè secus sit in quibusdam alijs: quæ de re non est hæc fusiùs disputandum.

Angeli ac Beati simplici conceptu diuina concipiunt.

15

Respondeo Tertiò, obiectum fidei quarto modo acceptum quandoque esse aliquid simplex; quoties scilicet credimus aliquid de natura diuina eiusque attributis: quandoque verò esse aliquid compositum, vt cum credimus Deum creasse mundum, Christum natum ex virgine, passum, &c. Ex quibus patet responsionem D. Thomæ intelligendam esse de obiecto fidei primo modo accepto, aut secundum priorem partem ternæ nostræ responsionis.

D V B I V M III.

Utrum Deus quatenus est prima veritas, sit obiectum formale fidei?

16

Hactenus explicui obiectum materiale fidei, iam formale explicandum est: pro quo Nota Primò, obiectum formale dici id quod alicui potentia est ratio eam mouens vt in obiectum materiale feratur. v. c. ager appetit medicinam: hæc est obiectum materiale illius appetitus siue id quod appetitur: obiectum verò formale immediatum est vtilitas ipsius medici-

Quid sit obiectum formale.

na ad sanitatem recuperandam: hæc enim est immediata ratio cur eam appetat. quamuis hæc etiam vltimè referat ad sanitatem acquirendam, quæ est tandem vltima ratio, cur medicinam appetat. Item credo aliquid esse verum, quia Iohannes id testatur; huius testimonium est ratio cur id credam; & obiectum formale huius assensus.

Nota Secundò, quædam obiecta intellectus esse nobis per se euidencia, & in his obiectum formale, est eorum euidencia; hæc enim nos immediate mouet ad assensum. Alia verò nobis secundum se sunt ineuidencia, ideoque iis assentimur propter aliquod obiectum formale ab iis distinctum. Quod rursum est duplex: nam quandoque habet naturalem connexionem cum obiecto materiali, vt accidit quoties cognoscimus effectus per causas, aut causas per effectum: atque ita hoc medium est aliquo modo intrinsecum rei cognita. Aliàs verò est omnino extrinsecum obiecto materiali, nec ullam cum eo naturalem habet connexionem. vt accidit quando alicui propositioni assentior propter testimonium alterius.

17
Obiectum formale quandoque est intrinsecum obiecto materiali: aliàs extrinsecum.

Obiectum formale, extrinsecum duplex.

Nota Tertiò, quando cognoscimus aliqua nobis per se euidencia, huius cognitionis obiectum formale esse aliquid vnum, eadem ratione qua res cognita est vna. Secus autem esse, quando medium est distinctum à re cognita. v. c. credo aliquid, quia Iohannes id testatur; ratio mouens me ad assensum est, partim quia scio Iohannem esse veracem, partim quia scio eum hoc dixisse; quantumuis enim credam eum esse veracem, si tamen ignorem eum hoc dixisse: aut contra, si sciam eum hoc dixisse, & tamen non credam eum esse veracem; ego illud non credam. Item assentior alicui conclusioni propter præmissas: obiectum formale continet triplicem assensum, scilicet maioris, minoris, & consequentia: si enim aliquis ex his desit, non assentiar conclusioni.

18

Obiectum formale extrinsecum non est vna.

Quadruplex igitur circa obiectum formale fidei occurrit difficultas: Prima est, utrum veracitas Dei sit obiectum formale fidei? Secunda, utrum testimonium Dei ad idem pertineat? Tertia, an testimonium Ecclesiæ sit aliquando obiectum formale fidei? Quarta, an euidencia consequentia ad id pertineat; siue an fides nuntietur discursui quæ hoc & sequentibus dubijs explicabimus.

Igitur circa præsentem difficultatem fuit olim error Manichæorum docentium nihil esse credendum nisi euidenti ratione cognitum. Sed hic error & absurdissimus est (nam si in rebus secundum se nobis omnino ignotis credimus hominibus, quare non multo magis credemus Deo?) & evertit planè omnem fidem diuinam: nam secundum illam mysteria nostræ fidei non crederemus, sed sciremus. Quare hoc errore expulso cum Catholica Ecclesia supponimus, fidem nostram auctoriæ diuinæ, & quærimus sub qua præcisè ratione Deus nos moueat ad credendum, siue sub qua ratione præcisè sit obiectum formale nostræ fidei: utrum nimirum quatenus est summè verax, siue prima veritas in dicendo: an verò sub aliqua alia ratione.

19

Fide credimus aliqua nobis ineuidencia.

Alia

20 Alia igitur opinio asserit, Deum non quæ-
rere, sed qua Deum, esse primum obiectum
formale fidei. Primum, quia illud est primum
obiectum formale fidei, in quod fides nostra
ultimò resoluitur: atqui hoc non est Deus qua
verax, sed qua Deus: ergo Deus qua Deus, est
obiectum formale fidei. Minor probatur, quia
querenti cur Deo credendum sit, respondetur,
quia verax est: & iterum roganti, cur sit verax,
respondetur, quia summè sapiens est, & summè
bonus, ita ut nec falli possit nec fallere. rursum
roganti cur sit summè bonus & sapiens, respon-
detur, quia est Deus. ergo tandem ultima ratio
cur ei credamus est, quia est Deus. Secundò,
quia idem est obiectum formale fidei hîc, & vi-
sionis in patria: atqui in patria obiectum visi-
onis est Deus qua Deus: ergo etiam fidei hîc. Ci-
tatur pro hac opinione Aureolus apud Capreo-
lum in 3. d. 24.

Aureolus.

21 Sed rationes pro ea allatæ nihil omnino pro-
bant. Ad primam, nego minorem. ad proba-
tionem, nego consequentiam. Quia aliud est ip-
sum deitatem, siue diuinam essentiam, nostro
modo concipiendi esse causam, cur Deus sit
summè sapiens & bonus, & consequenter sum-
mè verax; aliud verò est illam esse causam siue
rationem formale cur ei credamus: & primum
est verum, secundum verò est falsum: sicut et si
cur hæc aqua v. c. sit ita frigida causa sit, quod
sit recens hausta ex profundo puteo, tamen val-
de sitiens & per eam refrigerari cupiens non appet-
tit eam, quia ita ex eo puteo hausta est, sed quia
frigida est, quo posito nihil curat unde illud
frigus habeat.

Id quod ali-
cui est ratio
cur sit ve-
rax, non est
ratio forma-
lis cur ei
credam.Aliud est
obiectum
formale fi-
dei: aliud
causæ visio-
nis.

22 CONCLUSIO. Deus est obiectum formale
fidei, quatenus est prima & omnino infallibilis
veritas in dicendo, siue quatenus est ita verax,
ut nullo modo possit mentiri aut fallere. ita D.
Thomas 2. 2. q. 1. a. 1. & cum eo ferè communi-
ter Theologi. Probatur Primò, ex Scripturis.
Iohannis cap. 1. vbi Euangelista volens nobis
ostendere, quàm firmiter verbis Christi, cuius
doctrinam erat expositurus, deberemus crede-
re, ait: *Vidimus eum quasi unigenitum à Patre, ple-
num gratia & veritate.* Et deinde verbis Bapti-
stæ subdit: *De plenitudine eius nos omnes accepimus,
& gratiam pro gratia; quia lex per Moysen data est,
gratia & veritas (id est veritatis cognitio) per Je-
sum Christum facta est,* dum scilicet fidem nobis
annunciavit. Quod deinde ita docet: *Deum ne-
mo vidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu
Patris, ipse enarrauit.* Ac si dicat, Sicut gratiam
quàm à nobis habere non possumus, ab eo qui
plenus est gratia, accipimus: ita cognitionem
diuinorum mysteriorum, quàm nulla humana
industria possumus assequi, ab eo debemus ac-
cipere, quoniam Deum vidit, ei, qui plenus est ve-
ritate, utpote Deus ac prima veritas, firmissimè
credendo. vbi clarissimè assignat Christi vera-

D. Thom.

Iohann. 1.

citatem tamquam rationem, qua debemus mo-
ueri ut ei credamus. Consonat his ipse Christus
Iohan. 14. vbi volens Apostolis ostendere, qua
via ad Patrem eiusque cognitionem debeant
tendere (quod patet fieri per fidem) ait: *Ego sum
via, veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per
me.* vbi dicit se esse hanc viam, quia ex eius nar-
ratione cognitionem Patris accepimus: addit-
que se esse veritatem, ut ostendat omnino indubitanter ac firmissimè sibi credendum esse: est
etiam vita, quia iustus ex fide vivit.

Iohann. 14.

23 Probatur ratione: quia qui non credit Deo,
facit eum directè mendacem; idque non alia
ratione, quàm quia ostendit se in eo non agnos-
cere rationem qua debeat moueri ut ipsi cre-
dat, scilicet veritatem, quæ mendacio directè
contrariatur: ergo ratio qua directè mouemur
ut ei credamus, est ipsius veritas. Confirma-
tur, quia ideo præcisè credimus alicui homini,
quia scimus eum ita esse veracem, ut nunquam
aliquid dicturus sit quod non sciat certò esse
verum: quam opinionem si de eo habeamus,
quantumuis reliqua omnia ipsi desint, ei tamen
credemus; & nisi hanc de eo habeamus opinio-
nem, quantumuis aliàs credamus eum in alijs
omnibus esse perfectissimum, ei tamen non ha-
beamus fidem.

23

24 Vbi Nota, perfectam omnino veracitatem
non solum supponere in suo subiecto volun-
tatem abhorrentem ab omni mendacio, ita ut
quis sponte nullo modo velit mentiri: sed etiam
perfectam sapientiam, ita ut falli nequeat. nam
et si sciamus, aliquem nolle villo modo mentiri,
tamen si credamus eum posse falli in re quam
testatur, ei aut nullo modo, aut non sine aliqua
dubitatione seu formidine de opposito crede-
mus. Quare prima veritas utrumque in Deo in-
finitè perfectum supponit.

24
Perfecta
veracitas
duo requi-
rit.

Dices, Deus qua prima veritas, est obiectum
formale fidei: sed Deus qua Deus, est prima ve-
ritas: ergo Deus qua Deus, est obiectum for-
male fidei. Respondeo negando consequen-
tiam, quia manifestè muratur medium. Nam
in maiore qua denotat rationem formalem cur
Deus sit obiectum fidei; in minore non deno-
tat rationem formalem cur Deus sit prima ve-
ritas, sed rationem quasi originis, siue id quod
nostro modo concipiendi est ei causa & quasi
principium siue origo, cur in eo sit prima ve-
ritas. Simile est hoc argumentum. Medicina qua
expulsiua morbi, est obiectum formale amoris
ægroti: atqui medicina qua talis est speciei, est
expulsiua morbi: ergo qua talis est speciei, est
obiectum formale illius amoris. vbi consequens
est manifestè falsum: nam medicina præcisè
expetitur quia expulsiua, vnde eodem modo
appeteretur, cuiuscumque esset speciei, si eo-
dem modo esset expulsiua morbi ac sumptus
facilis.

D V B I V M IV.

Utrum Deus qua reuelans, atque ad eam ipsa reuelatio pertineant ad obiectum formale fidei?

²⁵ **I**n hac & sequente difficultate multi minus explicatè loquuntur, ita ut difficile sit conijcere quid velint: ideoque à diuersis citantur pro ijs sententijs, quas fortè numquam tenuerunt, ut sequenti dubio ex parte patebit. Ut autem clariùs procedamus, Notandum est Primò, hinc esse difficultatem circa duplicè actum fidei. Primus est, quo credimus res reuelatas distinctas ab ipsa reuelatione. Secundus, quo credimus ipsam reuelationem, siue eas res esse à Deo reuelatas: nec enim solùm credimus Deum esse trinum & vnum, esse incarnatum, &c. sed etiam credimus hæc à Deo esse reuelata. hoc autem dubio agimus propriè de priorè actu, in sequenti agemus de secundo.

²⁶ **N**ota Secundò, nos duobus modis posse aliquid dicere siue affirmare. Primò, solamentali dictione, sine vllò externo indicio, quo res ad alterius cognitionem deferri possit. Secundò, ita ut etiam exterius nostram mentem aliquo indicio prodamus. Quæ distinctio clara est in locutione, qua inter nos vtitur; in locutione autem angelorum res nobis obscurior est, quia nescimus quo modo inter se loquantur. Sed quidquid hæc de re sit, inter omnes constat, angelù posse aliquid intra se cogitare, atque ita sibi quodammodo loqui, ita ut nullus alius angelus id cognoscat. Et rursus eum cum voluerit, posse suos conceptus alteri manifestare, atque ita ei loqui. & hanc hinc voco externam locutionem, quacumque ratione fiat; priorem verò voco internam.

²⁷ **N**ota Tertiò, etsi per priorem locutionem possim dici loqui mihi ipsi aut etià Deo, qui internas nostras cogitationes inspicit, tamen non possum per eam alteri alicui creaturæ loqui; quia ut alicui loquar, debeo meum conceptum siue locutionem ad eum dirigere: ad quod necessarium est, ut ita eam exprimam ut possit ad alterum peruenire, siue ut hic possit eam percipere. nec enim possum dici ei loqui, ad quem sermonem non dirigo; nec possum dici hunc ad illum verè dirigere, si quantum est ex parte mea id ita non faciam, ut ad eum peruenire possit.

²⁸ **S**imilisque etiam est ratio in Deo respectu nostri, præsertim viatorum (de quibus hinc solùm agimus, quia in his solis est fides): cum enim eius conceptus intueri non possimus, debet eos nobis aliquo externo signo & consequenter actione creata prodere, ut possimus eos cognoscere, & consequenter ut possint ad nos dirigi.

Ex quo patet, locutionem Dei ad nos includere necessariò aliquam actionem creatam, qualis qualis illa demum sit.

²⁹ **D**ices, Loquimur quandoque hominibus absentibus, aut etiam rebus inanimatis, quæ nostrum sermonem nullo modo possunt perci-

pere: ergo ut alicui loquar, non requiritur ut meus sermo possit ad eum peruenire. Respondendo, illam locutionem non esse veram, sed tropicam, vel potiùs fictam, ad ostentationem nostri affectus, aut ob similem causam. fingimus enim illos, quibus loquimur, esse præsentés, & res inanimés percipere ea quæ dicimus; & consequenter fingimus nos ijs loqui.

Adde, nos in hoc etiam casu sermonem nostrum, quantum est ex parte nostra, sufficienter ad eos dirigere, ita ut possent eum percipere, nisi aut absentes essent aut sensu carerent; atque ita defectus non est ex parte nostra, sed ex parte eorum quibus loquimur, sicut quando surdo loquimur. Secus est in locutione merè interna, quæ ex natura sua talis est, ut ab alijs percipi nequeat, atque ita in ea est defectus, ei que aliquid deest ad veram istorum allocutionem requisitum.

³⁰ **N**ota Quartò, nos alterius testimonio dupliciter moueri posse ut aliquid credamus. Primò, ita ut illo per se & immediatè moueamur ad rem illam credendam. Secundò, solùm mediatè. v. c. Iohannes qui magna apud me est auctoritate, mihi dicit haberi in Scripturis Abraham genuisse duos filios. Duo hic credo. Primò, illud haberi in Scriptura; Secundò, id esse verum. Ad priorem assensum moueor immediatè auctoritate & testimonio Iohannis: ad secundum immediatè moueor testimonio Scripturæ, & testimonio Iohannis solùm remotè ac mediante priorè assensu. Item testimonium Iohannis respectu vtriusque obiecti valde dissimiliter se habet: nam respectu prioris veritas ipsius testimonij habet per se immediatam ac necessariam connexionem cum veritate ipsius obiecti siue rei creditæ, ita ut fieri nequeat ut testimonium Iohannis sit verum, si illud in Scriptura non habeatur. secus est de secundo: nam etsi Abraham numquam genuisset duos filios, posito tamen quòd hoc in Scriptura haberetur, testimonium Iohannis esset verum. Vnde sequitur, testimonium Iohannis respectu prioris assensus habere veram rationem medijs siue obiecti & rationis formalis, qua immediatè moueor ad credendum: in secundo verò solùm se habere per modum proponentis ipsum obiectum formale.

³¹ **H**is positis tres hic possunt esse sententiæ, quarum tacitis Auctorum nominibus meminit Turrian. 2. 2. disput. 2. dub. 2. Prima negat testimonium Dei habere rationem obiecti formalis respectu nostræ fidei: Primò, quia obiectum formale debet esse aliquid reale intrinsecum obiecto materiali: atqui testimonium Dei respectu rerum credendarum non potest esse tale: ergo nequit esse obiectum formale fidei. Secundò, quia fide credimus Deum esse primam veritatem: atqui hoc non credimus propter ipsius testimonium; quia stultum videtur credere aliquem esse veracem, quia ipse hoc dicit: ergo respectu huius assensus testimonium Dei non est obiectum formale. Tertiò, quia fide credimus Deum esse: atqui hoc non credimus, quia ipse dicit; nam ridiculum videtur credere aliquem esse siue e existere, quia ipse hoc testatur. ³² **Q**uam-

Quamuis enim hoc ipso quo aliquis dicit se existere moueatur ad iudicandum hoc esse verum, propriè tamen id non credo, quia ipse hoc dicit, sed propter rei euidentiā: nam hoc ipso quo audio aliquem loquentem, clarè scio eum esse, vnde etiam hoc crederem etsi contrarium diceret.

Confirmatur, quia ignotius non potest esse ratio cognoscendi magis notum: atqui notius est Deum esse (quia hoc lumine naturæ est euidens) quàm sit notum ipsum hoc testari: ergo nequeo illud propter hoc credere.

Quartò, credimus Deum reuclasse articulos fidei: atqui hoc non credimus propter aliam reuelationem, quia sic daretur processus in infinitum: ergo aliquis assensus fidei non habet pro obiecto formali Dei reuelationem.

Secundà sententia docet, internam Dei locutionem esse obiectum formale assensus fidei: non tamen externam; quia cum fides sit virtus theologica, debet pro obiecto formali habere aliquid increatum. Sed hoc argumentum nullius est momenti; quia, ut fides sit virtus theologica, sufficit quòd ipsius obiectum sit ex parte ipse Deus quatenus scilicet includit diuinam veritatem & locutionem internam.

Tertià docet, ipsam reuelationem siue testificationem esse connexionem & vniōem inter obiectum formale & materiale fidei, siue inter auctoritatem Dei & rem creditam. nam aliàs huius veritas nullam haberet connexionem cum Dei auctoritate siue veritate, si Deus eam non fuisset testatus; v. c. si Deus non fuisset testatus Antichristum venturum, quantumuis ipse nunquam esset venturus, ideo tamen Deus non esset minus verax: & qui negaret eum esse venturum, nullo modo negaret Deum esse veracem. hoc ipso tamen, quòd Deus testatus est eum esse venturum, fieri nequit ut ipse non veniat, nisi Deus mentiatur. atque ita necessaria est connexio inter ipsius aduentum futurum & Dei veritatem.

CONCLUSIO I. Veritas prima siue Deus quatenus est prima veritas reuelans obiecta fidei, est huius obiectum formale; ita ut etiam ipsa Dei reuelatio siue attestatio ingrediatur eius obiectum formale. Est ferè communis Theologorum, ut ostendit Valent. 2. 2. disp. 1. q. 1. puncto 1. & Turrian. ibid. disp. 2. dub. 2.

Probat. Primò, quia Scriptura passim exigit à nobis fidem, iubetque nos credere mysteria fidei quia Deus ea reuclauit ac testatus est. Hinc S. Iohannes epistola 1. c. 5. cum vrget nos ut credamus, rationem adfert: *Quia spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas.* & quo magis nos excitet, ut omnino firmiter & sine hesitatione credamus, subdit: *Si testimonium hominum suscipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est.* Ac si dicat, si testimonium hominis nos mouet ad credendum aliquid, multò magis nos mouere debet testimonium Dei, quòd infinitè infallibile est. Demum addit, *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* quo nimirum ipse in assentiendo tamquam fundamento & ratione formali nitatur. Similiter 1. ad Thessalon. 2. &

Coninck de act. supernat.

alibi credentes dicuntur suscipere verbum Dei, & credere verbo Dei: quia nimirum testimonio Dei ad credendum mouentur.

Probat. Secundò, quia id in aliquo assensu habet rationem obiecti formalis, quòd est medium siue ratio nos mouens ad assensum; ut patet in assensu conclusionis, in quo euidentiā pramissarum & consequentiā est obiectum formale ipsius assensus, quia est ratio siue causa obiectiua mouens ad assensum: atqui ratio mouens me ad assensum fidei, siue diuinæ siue humanæ, est testimonium Dei aut hominis: ideo enim dicta credo, quia aut Deus aut homo ea testificatus est: ergo ea testificatio habet rationem obiecti formalis.

Confirmatur, quia multæ res fidei nullam aliam habent rationem, cur ut infallibiliter veræ credantur, nisi quia Deus eas testatus est: v. c. nulla est ratio ob quam credam Antichristum venturum, nisi quia Deus hoc dixit: ergo tota ratio nos mouens ut eas ita credamus, est testimonium Dei.

Dices Primò, testimonium Dei non esse rationem formalem ipsius assensus, sed solum proponere nobis veritatem ipsius rei, quæ deinde ad credendum mouemur. Sed contra, hac ratione reuelatio aut testificatio respectu assensus fidei, ac rei creditæ se solum haberet, sicut se habet locutio eius qui mihi ostendit aliquam conclusionem sequi ex pramissis mihi per se notis: aut sicut se habet testimonium eius qui mihi dicit hoc vel illud haberi in Scriptura, & ita est causa cur alicui propositioni assentiar. iuxta dicta num. 31. hoc autem est apertè falsum, ut patet tum ex ibidem dictis, tum etiam quia si res creditæ deberent aliunde, quàm ex testimonio Dei habere quòd sint necessariò & apertè veræ, aut connexæ cum auctoritate diuinā; quòd tamen falsum est: nam multæ res fidei, præsertim futuræ contingentes, nullam ex se habent necessariam veritatem, cum possint esse & non esse; multò minus habent euidentiā veritatem: ergo secluso Dei testimonio nihil in se habent, quòd me possit mouere ut eas credam.

Dices Secundò, Etsi eas res non habeant ex se infallibilem aut certam veritatem, eam tamen habent quatenus sub sunt scientiæ Dei: hoc ipso autem quo Deus dicit eas futuras, scio ipsum scire eas futuras; & ideo id firmiter credo.

Sed contra, tunc credendo præcisè eas res esse veras siue futuras, non crederem testimonio & verbo Dei, prout Scripturæ citatæ num. 35. testantur, sed solum scientiæ Dei: imò propriè huic non crederem (quia credere propriè dicit respectum ad aliquod testimonium) sed ex ea posteriori colligerem eas res esse veras, atque ita ille assensus non esset fides, sed potius quædam scientia à posteriori; quæ ratione dicemus infra Beatos in Deo cognoscere res futuras.

Dices Tertiò, solum Dei veracitatem esse causam & rationem formalem cur eiusmodi res sint infallibiliter veræ ac credibiles; testimonium verò Dei solum esse vinculum siue rationem cur illæ cum Dei veracitate habeant necessariam connexionem, & consequenter propter

36

37

Testimonium Dei respectu fidei non est solum propositio obiecti.

38

Fides necessario respicit aliquod testimonium quæ tale.

39

P

eam

eam sunt necessariò veræ ac credibiles.

Sed contrà, non sola auctoritas siue veracitas Dei me mouet ad credendum, sed etiam ipsa connexio rerum cum ea veracitate; idè enim res eas credo quia ei veracitati connexæ sunt, siue quia reuelatæ sunt: sicut in syllogismo non solum euidencia præmissarum est causa assensus conclusionis, sed etiam euidencia consequentiæ; ideo enim conclusioni assentior, quia video eam sequi ex præmissis, quas scio esse veras.

40 CONCLUSIO II. Non solum interna Dei locutio siue iudicium, quo iudicat rem aliquam esse veram ac reuelatam, sed etiam ipsa externa reuelatio & testificatio (quo nomine intelligo quoduis externum signum, quo Deus nobis loquitur ac conceptus suos aperit) habet rationem obiecti formalis respectu assensus fidei. Ita

Valentia.

Valentia suprà, §. Sed hinc oritur. Et probatur, quia ad obiectum formale fidei requiritur vera Dei testificatio qua nobis aliquid dicat ac reuellet siue testetur: atqui, vt ostendi num. 28. & 29. sola Dei interna locutio, nisi accedat aliquod externum signum quo ipsa ad nos dirigatur, ita vt nobis possit innotescere, nequit respectu nostri esse vera testificatio, nec Deus per eam potest dici nobis aliquid dicere aut testificari: ergo ipsa sine eo signo nequit esse formale obiectum fidei; & sicuti externum illud signum vnà cum interna locutione sua actu intellectus cõponit integram locutionem, ita vtrumque pertinet ad obiectum formale fidei.

Integrum obiectum formale fidei ex quo consistet.

41

Ex quibus omnibus patet, integrum obiectum formale fidei esse primam veritatem nobis aliquid actione creata reuelantem, qualem, siue includendo etiam ipsam reuelationem.

Ad primum argumentum propositum n. 32. Respondeo maiorem solum esse veram quando assentimur alicui rei propter suam euidenciam, aut propter euidenciam, quam cum rebus aperte veris ex se habet, connexionem; secus autem esse in omni actu fidei, cui essentialè est vt feratur in obiectum materiale ob alterius auctoritatem: quæ communiter rei creditæ extrinseca est.

42

Ad secundum, nego minorem: nam Deum esse veracem non solum scimus, sed etiam propter Dei testimonium fide diuina credimus. Ad probationem, Respondeo hoc solum esse verum quando quis firmiter credit alicui ignoto dicenti se esse veracem, qui id nullis aliis argumentis probat, siue quando nulla alia adest iusta ratio, quæ eum moueat ad id credendum. Secus autem esset, si vir aliquis, cuius prudentia, grauitas ac probitas mihi essent optimè perspectæ, ita vt prudenter possem iudicare ipsum nolle me fallere, siue me posse ei certò fidere, mihi diceret se esse ita amantem veritatis, ac naturaliter abhorrerentem à mendacio, vt nulla in re vllam ob causam vinqum mentiat, aut mentiri veller; tunc enim, præsertim si ipse esset meus Superior, cui omnem reuerentiam debeo, propter illud ipsius dictum deberem firmitus credere ipsum ita esse veracem, quam ex vllis fortè aliis circumstantiis id possem colligere, siue firmitus quam secluso eo testimonio id cre-

Prudenter quandoque alicui credimus dicenti se esse veracem.

derem, idque propter honorem & reuerentiam, quam ei ob probitatem & superioritatem debeo: ita vt dubitando an aliqua in re fortè mentiretur, maiorem ei facerem iniuriam post illud de se testimonium, quam ante.

Cum itaque naturæ lumine nobis certò constet Deum esse summe sapientem & bonum, ita vt ipsius naturæ repugnet aut falli, aut fallere, merito ei de se testanti se ita esse veracem vt omnino implicet ipsum mentiri, credimus, & quidem assensu firmiore quouis alio, quem ob rationes naturales possumus elicere: quia fides est quavis scientia naturali certior; summaque, quam Deo debemus, reuerentia exigit, vt ei quiduis de se alia re testanti tanta firmitate credamus.

Ad tertium, nego minorem. Ad probationem, Respondeo ridiculū quidem esse credere, aliq̃ hominem esse præcisè quia ipse hoc dicit, ita vt noster assensus sit verè assensus fidei nitens ipsius testimonio; secus tamen esse in Deo eiusque testimonio. Ratio diuersitatis est, quia testimonium hominis non solum non facit obiectū suum euidens, sed est etiam fallibile, atque ita est medium cognoscendi longè incertius ac omni modo imperfectius, quam sit euidens ratio naturalis: ridiculum autem est, imò, vt ostendam disp. 11. dub. 1. omnino naturaliter impossibile me moueri medio obscuro & incerto vt assentiar alicui rei mihi euidenter & certissime aliunde cognita.

Cur possim vix fide credere Deo dicenti se esse, quam homini.

Secus autem est in fide diuina, quæ certitudine omnem naturalem scientiam superat, sicut testimonium diuinum certitudine infinite superat omne medium cognoscendi merè naturale: quare habita quacumque cognitione hausta ex ratione humana circa Dei existentiam aliudue obiectum, merito adhuc mouemur diuino testimonio vt id credamus firmitus, quam sit assensus ille ex ratione naturali ortus. Quare etsi & aliunde & ex hoc ipso, quo Deus nobis loquitur, signo euidenter cognoscamus ipsum verè existere, tamen merito voluntas adhuc intellectui imperat vt hoc ipsum propter Dei testimonium firmitus credat.

Ad confirmationem, distingo maiorem: si enim ignotus dicitur id omne quod est minus euidens, sic eam nego. Nam vt assentiar alicui propositioni propter aliam non est opus vt hæc mihi sit euidentior, sed sufficit quòd sit certius cognita: antecedens enim mouet me vt assentiar consequenti, præcisè quia ipsum in se mihi certò cognitum est, siue hæc cognitio sit euidens, siue obscura. Quod vel inde patet, quia conclusiones theologicas etsi sæpè lumine naturali aliquo modo cognitæ, tamen adhuc probamus ex propositionibus fidei obscure nobis cognitæ, & ita firmitus iis assentimur, quam propter alias rationes euidentes. Simili igitur ratione obscura Dei reuelatio potest mihi esse ratio cur firmitus assentiar alicui rei aliàs naturaliter mihi euidenter cognitæ. Si verò id vocetur ignotius, quod cognitione absolute imperfectiore est cognitum; sic concessa maiore, nego minorem. nam etsi fides qua credo Deum testari se esse, sit obscurior cognitione qua natu-

43

44

45

naturaliter scio eum esse; est tamen absolute certior, atque ita saltem aliqua ex parte perfectior.

Ad quartum, nego consequentiam. Quia Deum reuelasse articulos fidei credimus propter eandem ipsam reuelationem qua eos reuelauit: sicut enim lumen non solum est ratio cur videam colores, sed etiam cur ipsum videam, ita reuelatio diuina est formalis ratio simul credendi tam ipsam reuelationem quam res per eam reuelatas; vt ostendam dubio sequenti.

D V B I V M V.

Quod sit obiectum formale, siue immediata ratio formalis ob quam credimus articulos fidei esse à Deo reuelatos?

47 S Olet hæc difficultas ab alijs hoc modo proponi: *Quid sit in quo fides nostra vltimò resoluitur, quodq; per se creditur vel scitur?* v. c. petitur cur credam Deum esse trinum & vnum: bene respondeo, Quia Deus hoc reuelauit. Quid si vltimò petatur cur credam Deum hoc reuelasse, non videor posse dicere me hoc credere propter Dei reuelationem. nam vel id crederem propter aliam reuelationem, & sic esset progressus in infinitum: vel propter eandem ipsam reuelationem, qua Deus reuelauit se esse trinum & vnum, quod etiam nō videtur posse dici, quia nihil potest esse ratio cognoscendi sui ipsius, nisi sit in se euidens; Deum autem hoc reuelasse non est per se euidens.

48 Secundo, hæc res patitur difficultatem; quia ad credendum Deum hoc reuelasse non videor posse moueri ob auctoritatem primæ veritatis, sicut ea moueor vt credam alia reuelata; nam illud non videtur habere necessariam connexionem cum Dei veracitate, sicut hæc habent. Et si enim negarem Deum reuelasse se esse vnum & trinum, non facerem eum mendacem, sicut facerem si concederem eum id reuelasse, & tamē negarem esse verum. Sicut etiam accidit in humanis; nam facio quidem Petrum mendacem si negem esse verum id quod fateor eum testatū esse; non facio tamen eum mendacem si negem ipsum hoc testatum esse, nisi constet eum testari se hoc esse testatum: et si autem Deus reuelauit se esse trinum & vnum, tamen non reuelauit se hoc reuelasse. Quare manet difficultas, qua ratione credam Deum hoc reuelasse.

49 Scotus in 3. d. 23. §. *Contrà si fides*, & §. *Aliter potest poni*. ponit duos modos dicendi. Primus docet, nos hoc credere fide acquisita; ita nimirum vt ijs quibus Deus hoc immediatè reuelauit, hoc crediderint, quia apertè percipiebant Deum hoc sibi reuelare; nos verò id credamus, quia ipsi dixerunt & scripserunt hoc sibi à Deo reuelatum esse. ita vt horum testimoniu sit formalis ratio, cur credamus Deum illa reuelasse.

Secundus modus docet, habentem solum fidem acquisitam tamquam ratione formali niti reuelatione Dei, & ea moueri vt credat v. c. Deum esse trinum & vnum; contrà verò niti ac moueri auctoritate & testimonio Euangelistæ vt credat Deum id reuelasse. Secus tamen esse

Coninck de act. supernat.

in habente fidem infusam, quæ supplet defectum obiecti formalis, & propositis solum ijs terminis, *Deus est trinus & vnus*, sine respectu ad reuelationem immediatè inclinatur intellectum vt illud credat. Sicut vt primò incipimus assentiri conclusioni alicuius scientiæ, necessarium est vt actu consideremus euidentiā præmissarum ex quibus deducitur, & ipsius consequentiæ. postea verò acquisito habitu statim vt conclusio illa nobis proponitur, sine reflectione ad vllas præmissas ei tamquam in se nobis euidenti assentimur, habitu supplente defectum illius obiecti formalis, propter quod ei primò sumus assensi.

Et hoc secundum quidem quasi problematice Scotus ibi disputat: vt tamen probandum sit non definit; imò paragrapho sequenti ponit aliquot argumenta, quæ id clarè refutent.

Primum est, quia inde sequeretur, omnes habentes habitum fidei statim ac ijs proponitur aliqua propositio, quæ est de fide, et mox assensuros, et si numquam audierint, aut saltem omnino obliuisci eam à Deo esse reuelatam. Secundo, quia inde sequeretur, assensum fidei non prærequirere imperium voluntatis, & consequenter non esse liberum. Sicut si proponatur alicui aliqua propositio, cuius habet habitualement scientiam, statim & necessariò ei assentitur, et si non recorderetur medijs per quod eam scientiam primò acquisiuit: vtrumque autem consequens est apertè falsum: nam et si habeamus habitum fidei, numquam tamen aliquid fide diuina credimus nisi prius etiam credamus id à Deo esse reuelatum, & nisi præcedat imperium voluntatis, quo ille assensus liberè imperetur. nam, vt testatur D. Augustinus. tract. 26. in Iohan. nemo credit nisi volens. Tertiò, refutatur ea opinio, quia secundum eam assensus, quo res fidei credimus, non esset verè assensus fidei: nam, vt ostendi suprà n. 36. & 38. assensus fidei siue diuinæ siue humanæ necessariò tamquam obiectum formale respicit aliquod testimonium, sicut scientia proprie dicta respicit demonstrationem; & hac ratione essentialiter ab omni alia cognitione differt. Secundum illum autem modum dicendi assensus fidei infusus non niteretur vllò testimonio tamquam obiecto formali, & consequenter non esset vera fides.

Secundò, Michael Medina lib. 5. de Recta in Deum fide c. 11. distinguit inter fidem Apostolorum aliorumque qui immediatè à Deo per reuelationem alioque modo fidem didicerunt: & inter nostram fidem. Nam illorum fidem vult vltimò niti testimonio diuino; & eandem ait esse rationem eorum qui tempore Apostolorum vixerunt, & ab ijs fidem didicerunt, & viderunt miracula quibus Deus testabatur fidem, quam annunciabant, esse veram. Nostram verò fidem ait vltimò niti auctoritate Ecclesiæ, quatenus hæc à Spiritu sancto dirigitur; atque ita est infallibilis veritatis, & habet suo modo auctoritatem diuinam. cui contentit Bañez 2. Bailez. 2. quæst. 1. art. 1. dub. 4. Itaque secundum eos si petas ab aliquo, quare credat Christum esse Deum; respondebit, Quia Deus hoc reuelauit. Si vltimò petas, quare credat Deum hoc reuelasse;

P 2

sc; di-

se; dicit, Quia Ecclesia à Spiritu sancto directa hoc me docet. Probat Medina suā sententiam, quia vnaquæq; res debet in ea principia resolui, ex quibus nascitur: atqui fides Apostolorū & Prophetarū primò nata est ex reuelatione Dei, nostra verò nata est ex doctrina Ecclesiæ: ergo vtraque debet in dicta principia vltimò resolui.

Additque Bañez suprà concl. 4. petenti vltimò cur credam, Ecclesiam à Spiritu sancto sic dirigi vt errare nequeat, huius rei non posse vltimò ex parte obiecti vllam rationem reddi à nobis; quia hoc est primò creditam respectu nostri: sed necesse esse causam huius assensus reducere ad testimonium Spiritus sancti inclinantis nos per lumen fidei ad hoc credendum. Atque ita petenti, cur hoc credam, debeo respondere, Quia lumen fidei me ad hoc inclinat: vnde infert, fidem nostram vltimò reduci in ipsum Deum tamquam in primum suum auctorem; quatenus hic est auctor ipsius habitus fidei, & per eum nobis credenda reuelat. Probat autem sententiam suam Primò, quia Act. 16. dicitur Deus aperuisse cor Lydiæ, vt intenderet illis quæ à Paulo dicebantur. Secundo, quia S. Iohannes epist. 1. c. 4. ait: *Qui nouit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos.* Vbi à posteriori colligitur eum qui Ecclesiæ credit, habere fidem à Deo infusam.

Sed in hac sententia multa mihi displicent: & Primò, illud vltimum dictum Bañez; nam incidit planè in sententiam suprà ex Scoto relatā, scilicet habitum fidei saltem in aliquibus supplere obiectum formale fidei; & iisdem argumentis refutatur, quibus illud refutauit.

Scripturæ autem quibus Bañez suam sententiam probat, nihil faciunt ad rem. nam ex priore solum colligitur Deum nos sua gratia præuenire intellectum nostrum illuminando vt melius apprehendamus ea, quæ nobis à fidei prædicatoribus dicuntur, & mouendo voluntatem vt ea velimus credere, quod fit per gratiam actuale, non autem per habituale: idque non solum in fide illius articuli; sed in fide cuiusvis alterius articuli, cum eum primò incipimus credere. In secundo autem Apostolus solum docet, suam doctrinam esse verè ex Deo, & eos qui ex Deo sunt, siue qui Deo credunt eiusque spiritu aguntur, suam etiam doctrinam credere, eosque qui sibi non credunt, esse hæreticos, & à diabolo, qui est spiritus erroris, decipi. His adde, quòd secundum sententiā Bañez deberemus ex interna Dei reuelatione cognoscere quæ sit vera Ecclesia, quæ nō. Item quoniam veram doctrinā nobis adferant, qui non. quod est aperte constituere priuatum spiritum & reuelationem iudicem cōtrouersiarum fidei, siue veræ doctrinæ. quem errorem in nostris hereticis damnamus.

Secundo, sententia Medinæ improbat, quia aut non satis in vltima sua principia nostram fidem resoluit, aut tandem vltimum eius principium constituit cognitionem aliquam naturalem ex notis fidei & per sensus hautam, aut supernaturalem ex aliqua diuina illustratione acceptam. Docet enim Apostolos credidisse Christum esse verum Deum, quia Deus hoc iis reuelauit; nos verò hoc credere, quia Ec-

clesia docet Deum hoc reuelasse. Petam igitur vltimò, cur ipse credat Ecclesiam hoc docere, & nihil aliud poterit respondere, quàm, Quia ego audio eam hoc docentem.

Item petam vnde sciat hanc Ecclesiam potius esse veram Ecclesiam, quàm Ecclesiam Græcorum aut Lutheranorum: sanè nihil aliud poterit respondere, nisi, Quia in Romana Ecclesia vdeo elucere omnes notas, quibus tamquam ciuitas supra montem posita, vera Ecclesia à falsis discernitur; illas autem notas externo aliquo sensu percipimus. hæc aut his similia respondere debebit, nisi fortè recurrat ad internam spiritus illuminationem, & hanc vltimum iudicem cōtrouersiarum constituat.

Item petam cur illi qui audiebant Christum docentem, & dicentem se esse Christum & verum Deum, credebant ipsi de se testimonium esse veram diuinam reuelationem & testimonium Dei? Dicit, Quia Deus multis miraculis & portentis testabatur eius doctrinam esse veram (hanc enim rationem reddit Medina suprà §. Ergo in fidei. cur audientes docentes Apostolos debebant credere eorum doctrinam esse à Deo.) Sed cōtrā vltimò petam, Vnde illi sciebant hæc miracula fieri? non poterit aliud verè respondere, nisi, Quia id videbant. & sic secundum illius principia fides resolveretur in cognitionem sensu hautam. Item vltimò petam, Vnde sciebant ea esse vera miracula, & non illusiones oculorum, aut ea à Deo & non à dæmone fieri, sicut Iudæi calumniabantur? Sanè si in horum prima cognitione certitudinem fidei requiras, nescio quò possis confugere nisi ad priuam reuelationem. Argumentum enim Medinæ suprà allatum num. 51. aut nihil probat, aut probat fidem nostram in hæc omnia, tamquam in obiecta formalia esse resoluendam.

Pro resolutione Nota Primò, ante omnem assensum fidei diuinæ in credente necessariò præcedere duplex iudicium. Primum est, quo ipse iudicat Deum esse summè veracem, ita vt nequeat vlla ratione mentiri. quod lumine naturæ notum est: estque hoc iudicium etiam necessarium vt credam fide diuinā Deum esse primam veritatem; quia nisi prius lumine naturæ scirem Deum esse infinitè veracem, id de se testanti tanta firmitate non crederem. Secundū, quo iudicat res sibi propositas esse verè firmissima fide credibiles, siue tales, quas merito quis credat à Deo esse reuelatas, & propter ipsius auctoritatem firmissimè credendas. Quod iudicium, etsi sæpè supponat aliquam fidem humanam, qua credimus variis historiis progressum nostræ fidei narrantibus, aut communi hominum sensui, aut prudentium ac sanctorum virorum testimonio de initio & progressu fidei nobis multa narrantium, aut dicentium hæc aut illa in Scripturis aut antiquis historiis haberi, à tota Ecclesia ab initio fuisse credita, &c. Etsi, inquam, illud iudicium ferè eiusmodi fidem supponat, non est tamen actus fidei, sed euidentis & moraliter aliquo modo certa cognitio, concepta ex euidentia notarum fidei,

52
Bañez.

Act. 16.

1. Ioh. 4.

53

Quid sit Deū
nobis aperire
cor ad credendum.

54

56
Assensum fidei
præcedit duplex iudicium.

fidei, quæ morali euidencia certò nobis demonstrant res fidei esse tales, quas meritò & prudenter credamus à Deo esse reuelatas: vt ostendam disp. 13. dub. 1. Quales autem hæ notæ esse debeant, vt propter eas res nobis credendas propolitas, tales iudicemus, infra explicabo. Quod idem etiam accidit in fide humana; nam vt Petro aliquid affirmanti credam, necesse est primò vt vel quia audio illum hoc affirmantem, vel ob aliam causam iudicem eum hoc dicere, secundò vt iudicem eum esse virum bonæ fidei & cui hac in re meritò credam.

Nota Secundò, quando Petrus v. c. mihi dicit, *Iohannes est mortuus*, ipsum non solum mihi significare Iohannem esse mortuum, sed etiam se iudicare hoc ita esse: seque velle hoc mihi indicare, atque aded se id de facto facere: hinc facerem eum mendacem, nò solum si negarem Iohannem esse mortuum; sed etiam si dicerem eum hoc non scire, aut contrarium in animo iudicare, aut non intendere mihi hoc indicare, sed solum id fingere.

Ex quibus patet Primò, eum qui mihi aliquid testatur, eadem oratione simul implicite aliquo modo testari, se hoc mihi verè testari.

Patet Secundò, quoties aliquid ob alterius testimonium credo, quatuor concurrere iudicia saltem virtute distincta. Primum, quo iudico eum esse veracem, idque vel quia familiariter mihi notus est, vel aliam ob causam: Secundum, quo, quia eum audio loquentem aut aliam ob causam, iudico eum hoc testari: Tertium, quo testanti credo eum hoc verè testari, siue eum id seriò & non fictè dicere: Quartum, quo ob eius testimonium credo rem esse veram.

Nota tamen, hæc omnia iudicia non semper realiter inter se distinguuntur: communiter enim eodem actu, quo iudicamus aliquem nobis aliquid dicere siue testari, etiam iudicamus eum hoc seriò testari; nisi fortè aliqua ratio contrarium suadeat: possum tamen vtrumque diuerso actu iudicare, & vnum prius quam alterum: & quando vtrumque id vno actu credo, hic est quasi virtute duplex. Item, vt ostendam infra n. 100. possum vno eodemque actu credere reuelationem & rem reuelatam, qui tamen etiam virtute sit duplex.

Nota Tertio, Deum variis modis nobis aliquid reuelare siue testari. Primò, immediatè per se, idque vel formando articulatam vocem, quæ res aliquas nobis indicet, sicut angeli communiter faciunt dum alicui loquuntur, vel quocumque alio signo suos conceptus nobis indicando. Secundò, ministerio alicuius angeli per què alicui aliqua mysteria reuelat, quia hic tunc sustinet immediatè personam Dei, & loquitur ac si ipse esset Deus. qua ratione Moyse olim legem veterem reuelauit. Tertio, mediatè aliquo homine qui verbo aut scriptura immediatè nomine Dei nobis aliquid denunciat. qua ratione olim per Prophetas, Euangelistas aliosque auctores S. Scripturæ nobis mysteria fidei reuelauit, quorum verba censentur verba ipsius Dei.

Nota Quarto, etsi definitiones Ecclesiæ propter assentientiam S. Spiritus sint omnino infallibilis veritatis, ita vt implicet eam aliquid falsum.

Coninck de a. d. supernat.

si circa fidem definite; & consequenter ita ab ea definita teneamur tam firmiter credere, atque ea quæ apertè in Scriptura habentur: tamen Deus per eam post tempora Apostolorum nihil nobis propriè reuelat; sed tantum in iam olim reuelatis explicandis & nobis infallibiliter proponendis ei certissimè assistit. vt cum communi sententia docet Valentia 2. 2. d. 1. q. 1. puncto 6. & insinuat D. Thomas 2. 2. q. 1. a. 7. Quare etsi Deus largo modo loquendi possit dici per Ecclesiam nobis loqui (sicut etiam nobis loquitur per alios Superiores, aut cõcionatores) tamen propriè per eam nobis non loquitur, sicut nobis loquitur per hagiographos; nec definitio Ecclesiæ est propriè verbum Dei, aliàs esset sacra Scriptura: quod omnes communiter negant.

Quomodo autè Ecclesiæ definitio se habeat respectu S. Scripturæ, & quomodo rursus ab ea differat, quoniam quidam in eo explicando laborant, claro aliquo exemplo hic duxi explicandum. Ponamus igitur Superiorem alicuius Religionis veratissimum in instituto & consuetudinibus suæ Religionis habere duos subditos in iis etiam benè versatos, qui de iisdem aliquem commentariolum scribunt, ita tamen vt vnus id faciat iussu & nomine sui Superioris, siue vt ille huius nomine postea edatur in lucem: qui etiam multa, quæ eum nouit ignorare, suggerat aut etiam dicat, in aliis eum illuminet clariùs ea ipsi explicando; & in omnibus ei assistat, ita vt in nullo puncto permittat eum errare. Alter verò suum commentarium nomine quidem suo scribat, Superiore tamen semper ei assistente, & ne in vilo erret providente, ac quædam etiam obscuriora explicante. Commentarij hi in hoc conuenient, quòd vterque ob auctoritatem illius Superioris credatur æqualiter vacare omni errore; & quòd, si quis fortè error in iis reperiretur, ipsi Superiori imputaretur ac vitio verteretur. In hoc tamen different quòd secundi commentarij subdito propriè tamquam auctori tribuatur, non autem Superiori (quamuis huic tribuendum sit quòd omni errore careat, & tamquam talis habeatur;) prior verò ipsi Superiori tribuetur tamquam auctori, & subdito tamquam instrumento. Et sic se habet S. Scriptura quæ est verè & propriè verbum Dei, eique vt auctori tribuitur, quia eius nomine scripta est; scriptori autem tribuitur vt instrumento Dei. Definitiones verò Ecclesiæ habent se instar secundi commentarij: quia Ecclesia eas suo nomine scribit, Deo tamen ei assistente ne erret, & in obscurioribus eam interiùs illuminante. His positis sit

CONCLUSIO I. Habitus fidei nullo modo potest supplere defectum obiecti formalis, inclinando intellectum, vt sine vilo respectu ad reuelationem siue testimonium diuinum, immediatè credat aliquam propositionem fidei. Patet ex dictis n. 50. Et cõfirmatur Primò, quia, vt ostendi suprà disput. 6. dub. 6. habitus supernaturales non inclinant potentias sensibiles in sua obiecta, nec faciunt eorum operationem, sed solum dant eis potestatem pro-

P 3

ducend

Ecclesiæ definitio est infallibilis veritatis: non est tamen reuelatio diuina, aut Scriptura sacra, aut verbum Dei.

Valentia. D. Thomas.

61 Quomodo Ecclesiæ definitio differat à S. Scriptura.

62

62

ducendi actum in substantia supernaturalem: sensibilis autem illa inclinatio & facilitatio operationis provenit aut à gratia præveniente, aut ab habitibus acquisitis.

Confirmatur Secundo, quia, etsi habitus infusus fidei sensibilibiter inclinaret potentiam in suos actus, tamen non inclinaret nisi ad eliciendos actus veræ fidei theologicæ, qui, ut ostendi supra, necessarij & essentialiter respiciunt testimonium Dei ut obiectum formale.

Dices, Lumen beatificum efficit ut intellectus rebus fidei immediate sine ullo alio medio assentiatur: ergo idem hic facit lumen fidei, licet modo imperfectiore. Respondeo. nego consequentiam, quia lumen beatificum facit sua obiecta intellectui clarè apparere sicut in se sunt: & consequenter facit ut intellectus iisdem propterea evidentiā immediate assentiatur.

Secus est de habitu fidei, qui relinquit res in se obscuras, & solum tendit in obiectum propter alienum testimonium: sicut etiam habitus fidei humanæ, qui quantumvis augeatur, numquam facit res in se clarè apparere, aut ut intellectus iis aliter assentiatur quàm propter alterius testimonium.

Ad primum argumentum, positum num. 49. de habitu scientiæ, Respondeo id pro nobis facere: nam nec hic unquam inclinatur intellectus ut assentiatur conclusioni immediate propter se, sine ordine ad præmissas; quia cum habitus acquisitus sit quasi quoddam vestigium actuum ex quibus genitus est, nihil est aliud quàm habitualis quædam inclinatio in obiecta illorum actuum formalia; & consequenter numquam potest in alia obiecta formalia inclinare, aut concurrere ad productionem alicuius actus, qui non habeat idem obiectum formale. & aliàs habitus scientiæ produceret actum qui non esset scientia: quod fieri nequit. habitu tamen perfectè acquisito intellectus sine ulla reflectione in obiecta materialia nobis propofita fertur tanta facilitate, ut non aduertat se eis assentiri propter obiectum formale, siue propter præmissas propter quas initio eis assensus est. Imò sæpè non est opus ut expressè de his cogitet, sed sufficit quod implicite & virtute illis moveatur ratione specierum ex præcedentibus actibus relictarum.

Adde, quandoque accessu scientiæ illustrati ingenium, ac frequenti cogitatione fieri ut propofitio ante nobis in se obscura, postea ex ipsis terminis appareat clara, atque ita ei immediate propter suam evidentiā assentimur. sed cum tunc habeat obiectum formale omnino distinctum ab obiecto materiali scientiæ, non est propriè actus scientificus, sed intellectus principii. Secus omnino est in actu fidei, cuius obiectum hic nobis semper secundum se manet obscurum. Aut si aliquando aliqua eius obiecta lumine naturali fiant cognita, hic omnino per accidens & impertinens est ad actum aut habitum fidei; nec huic, sed naturali scientiæ tribuendum est.

CONCLUSIO II. Si Ecclesiam sumas, prout distinguitur à Prophetis, Evangelistis, aliisque

sacra Scripturæ auctoribus, quantumvis eam consideres ut infallibiliter directam à Spiritu sancto; eius tamen testimonium numquam potest esse obiectum formale fidei theologicæ. male fidei. Hæc conclusio videtur apertè D. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 1. & ferè communis Theologorum assertentium solum primam veritatem reuelantem esse obiectum formale fidei. Probatur clarè hoc argumentum, fides theologica in eo distinguitur ab humana, quod hæc nitatur testimonio humano, illa verò solo diuino: atqui, ut ostendi num. 60. & 61. quantumvis Ecclesia in suis definitionibus dirigatur infallibili Spiritu sancti assistentia, atque ita eius testimonium nitatur suo modo auctoritate diuina, & ab ea firmitatem accipiat; tamen non est verè & propriè testimonium siue verbum & reuelatio Dei, sed propriè est testimonium humanum (sicut quantumvis ipsa acceperit à Deo potestatem ferendi leges, & ab eodem in iis ferendis dirigatur, eius tamen leges propriè non sunt diuinæ, sed humanæ); ergo illud nequit esse obiectum formale fidei theologicæ; & consequenter hæc nequit in illud tamquam in suum obiectum formale ultimo resolui.

CONCLUSIO III. Testimonium Ecclesiæ, quo aliquid tamquam de fide definit, propter promissionem Christi ei factam Matth. 16. vers. 18. & Iohannis 14. vers. 16. & ob infallibilem assistentiam Spiritu sancti, est regula omnino infallibilis, siue quam omnino implicet falli, rerum credendarum, siue qua discernantur à Deo reuelata ac nobis credenda propofita ab aliis: quæquid ideo certissimè & securissimè nitatur illud iudicium quod fidem necessariò præcedit, quoque iudicamus à Deo esse reuelata, quæ nobis credenda proponuntur. Hæc à nullo Catholico, ut credo, negatur. nec etiam Bañez & Medina supra citati, huic conclusioni ullo modo contradicunt: sed aliquid amplius testimonio Ecclesiæ tribuunt. quod supra refutavi. quamvis etiam satis crediderim ipsos solis fortè verbis à nobis discrepare, ita ut quamvis aliter loquantur, tamen id solum velint dicere, quod hac conclusione asserimus. Nam argumenta illorum nihil aliud probant.

Ad argumentum igitur ex Medina propofitum n. 51. Respondeo fidem resolui in testimonium Ecclesiæ ex ratione, qua ex eo gignitur, scilicet tamquam in regulam infallibiliter dirigentem illud iudicium, quod fidei assensum præcedit. Quà ratione etiam tandem resolvitur in cognitionem per sensum haustam, quam illud iudicium necessariò supponit, qua scilicet audiendo vel legendo intelligimus Ecclesiam hoc vel illud credendum proponere, idque prius quàm ob eius auctoritatem iudicemus illud si de diuina esse credendum.

Nota, Ecclesiam dupliciter posse considerari. Primò, prout est cōgregatio hominū toto orbe dispersorum, constans pluribus viris summa doctrina ac vitæ sanctimonia illustribus, inter quos plurimi miraculis claruerunt; quæque iam à Christi temporibus semper in eadem fide sine vlla vel minima mutatione, maximo inter tam varia ingenia, diuersasque nationes consensu inter

Testimonij Ecclesiæ, quæ est obiectum formale fidei. D. Thomæ.

Diffinitio fidei theologicæ & humanæ.

Testimonij Ecclesiæ est regula infallibilis rerum credendarum.

Qua ratione fides theologia resoluitur in testimonium Ecclesiæ.

Qua ratione resolvitur in cognitionem sensu haustam.

Ecclesia dupliciter considerari potest.

63. Cur lumen beatificum potius quàm habitus fidei faciat intellectum suo obiecto immediate assentiri.

64. Habitus scientiæ solum inclinatur in intellectum ut assentiatur conclusioni propter præmissas.

Obiectum secundum se prius obscurum frequenter consideratione quandoque fit clarum.

65.

inter tot Tyrannorum, Paganorum, hæreticorumque oppugnationes, constantissimè per tot sæcula hæcenus perseverat. Quod vel ipsum lumen naturæ, præsertim sumpta experientia ex aliis scētis, quæ statim in varias diuisiones abeant, clarè ostendit naturaliter sine vilo superiore auxilio, aut vix aut etiam nullo modo fieri posse; nec vlla ratione posse contingere in aliqua falsa opinione. Nec enim fieri vilo modo potest, vt tot actam varij homines, præsertim eruditi, tam concorditer ac constanter circa res tam varias aberrant; vt in omnibus falsis opinionibus patet. Et hac ratione Ecclesiæ auctoritas est quidem inter res humanas maxima, quæque meritò cuius prudenti persuadeat, vt omnè eius doctrinam tamquam omnino indubitam amplectatur; est tamen naturalis & humana.

Secundò, considerari potest, prout infallibiliter à Spiritu sancto dirigitur. Et quamuis, vt dixi supra, eius etiam vt sic considerata testimonium nō sit propriè diuinum, sed humanū, participat tamen suo modo firmitatem & auctoritatem testimonij diuini, quatenus non possumus de eius veritate dubitare sine iniuria Spiritus sancti ei assistentis, & Christi hanc assistentiam & immunitatem ab omni errore ei promittentis.

Quia tamen de hac Spiritus sancti assistentia nobis sola fide ex Scripturæ testimonio constat, auctoritas Ecclesiæ hoc modo considerata solos fideles dirigit, aut eos qui saltem Scripturæ credunt. Priore verò modo considerata cum naturalibus argumentis clarè probari possit; etiam omnino infidelium iudicium dirigere potest.

Hinc patet Primò, D. August. l. contra epistolam fundamenti c. 5. meritò dixisse, *Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ catholica me commoueret auctoritas*. Non quia putabat testimonium Ecclesiæ esse obiectum formale illius fidei theologicæ, quæ inter cetera credo Scripturam esse verè verbum Dei: sed quia seculi Ecclesiæ auctoritate illud iudicium quod necessariò actum fidei præcedit, nullum habuisset sufficiens fundamentum iudicandi tam firmiter credendum esse Euangelia diuina auctoritate conscripta esse; siue discernendi inter varios libros, qui à multis tanquam Scriptura sacra fuerunt expofiti, quinam sint legitimi, & qui spurii.

Patet Secundò, cur disputantes cum hæreticis, exemplo antiquiorum Patrum, quibus hoc solemnissimum fuit, semper prouocemuseos ad Ecclesiæ auctoritatem: hoc enim facimus, non vt ostendamus nostram fidem eius auctoritate vt obiecto formali niti (hoc enim omnino parergon esset) sed vt certissima hac nota tamquam lydio lapide probemus quæ fides sit amplectenda. Qua ratione hæreticos clarissimè conuincimus: nam & clarissimè potest ostendi, quam fidem Ecclesiæ Catholica approbet: & siue Scripturæ de ea testimonia spectes, Matthæi 16. vers. 16. vbi Christus testatur portas inferi nunquam contra eam præualluras; & 1. ad Timoth. 3. vbi dicitur columna & firmamentum veritatis; siue consideres rationem naturalem supra allatam num. 68. eius au-

thoritas tanta ac tam illustris est, vt meritò August. D. August. epist. 117. ad Ianuarium, dicat esse infaniam solentissimam insaniam, contra ea quæ vniuersa auctoritate obseruat Ecclesiæ disputare.

CONCLUSIO IV. Id in quod nostra fides, tamquam obiectum formale vltimò resoluitur, siue obiectum formale propter quod credimus non solum articulos fidei esse veros, sed etiam eos esse à Deo reuelatos, est testimonium primæ veritatis. Hæc est apertè sententia D. Thomæ 2. 2. qu. 1. a. 1. Caietani ibid. §. *Ad cuius evidentiam*. & eorum qui absolute farentur obiectum formale fidei esse primam veritatem reuelantem, vt bene docet Valentia 2. 2. disp. 1. qu. 1. puncto 1. assert. 2. & Turrian. disp. 2. dub. 9. §. *Vltima sententia*. Sequitur hæc conclusio clarè ex dictis, nam fide theologica credimus non solum articulos fidei esse veros, sed etiam eos esse à Deo reuelatos (esset enim verè hæreticus qui hoc negaret); atqui, vt iam sæpè ostendi, fides theologica necessariò habet pro obiecto formali testimonium Dei, sicut fides humana testimonium hominis: ergo assensus ille quo credimus eos articulos esse à Deo reuelatos, habet pro obiecto formali Dei testimonium.

Confirmatur, quia, vt ostendi num. 57. & 58. quando Deus nobis aliqua reuelat, simul etiam implicite testatur se ea reuelare: ergo sicut propter ipsius testimonium credimus ea esse vera, ita etiam ob idem testimonium simul credimus ea à Deo esse reuelata.

Et hæc quidem clarè probant, nos dicta ita debere credere vt habeamus fidem theologicam. Sed magna restat difficultas, quomodo fieri possit vt intellectus assentiatur huic propositioni, *Deus hoc reuelauit*, propter se siue propter eam ipsam reuelationem, qua Deus hoc reuelauit, hoc enim videtur fieri non posse, nisi dicta propositio sit in se euidens; omnis enim assensus intellectus videtur necessariò niti aut euidenti rei propositæ, aut medio aliunde sibi noto. cum igitur dicta propositio sit ipsi in se obscura, intellectus non potest ei assentiri, nisi propter medium extrinsecum.

Respondeo, illud assumptū solum esse verum quando intellectus ad assensum determinatur ab obiecto; tunc enim eius assensus necessariò tandem debet resolui in aliquod obiectum formale per se notum. Secus autem esse, quando determinatur ab ipsa voluntate, quæ posito sufficiente fundamento potest intellectum determinare vt obiectum aliquod firmiter apprehendat, eique assentiatur ea firmitate & ratione, quæ ei per se assentiri non posset. vt infra clarè ostendam: & hoc fit in præsentia casu. Posita enim sufficienti rei credendæ propositione iuxta dicta num. 56. ita vt intellectus clarè videat hanc rem esse talem, quam meritò credat à Deo esse reuelatam; voluntas statim ex pro erga primam veritatem affectu mota ipsius reuerentia magno conatu impellit intellectum, vt vehementer apprehendat illius maiestatem ac auctoritatem, eamque hic & nunc exigere vt propter eam firmissimè credat id quod sibi tamquam ab ea reuelatum tam euidenter proponitur. atque ita partim illa apprehensione, partim im-

Disputantes
multorum
in falso con-
sensu esse
nequit.

69

Sine iniuria
Spiritui san-
cto & Christi
nequimus de
Ecclesiæ testi-
monio
dubitare.

Auctoritate
Ecclesiæ ali-
ter circa res
fidei dirigitur
fideles,
aliter infide-
les.

70
August.
Mouemur
auctoritate
Ecclesiæ vt
credamus
Euangelio.

Disputantes
cum hæreti-
cis meritò ad
auctoritatem
Ecclesiæ ap-
pellamus.

Matth. 16.

1. Tim. 3.

August.
Infantum est
Ecclesiæ
auctoritate
oppugnare.

71

D. Thomæ.
Caietani.

Valentia.
Turrian.

72

73
Quando as-
sensus intel-
lectus neces-
sariò resol-
uatur in me-
dium per se
notum, quā-
do non.

Qua ratione
voluntas de-
terminet in-
tellectum ad
assensum fidei.

perio & impulsu voluntatis, sine vilo discursu mouetur diuina auctoritate & testimonio, vt propter hæc immediatè, & rem reuelatam, & ipsam reuelationem credat; id quæ firmitus quàm vlli rei naturaliter cognita possit assentiri; ne, si quacumque ratione de alterutro dubitet, primæ veritati cuius nomine hæc ei credenda proponuntur, faciat iniuriam.

74
Facit Deo iniuriam qui negat eum articulos fidei esse.

Dices, Et si quis faceret Deo iniuriam negando rem, quam sciret ab eo reuelatam, esse veram, non tamen si negaret eam à Deo esse reuelatam: sed per hoc solum faceret iniuriam homini, aut etiam Ecclesiæ id assenti. Respondeo, factum etiam Deo iniuriam cuius nomine hoc ei credendum tam euidenter proponitur. Quod exemplo humano clarè explicari potest. Si quis enim iussu siue nomine principis alicui eius subdito aliquid nunciet (v. c. alicui gubernatori vrbis hostes ad eam noctu venturos) cum iis circumstantiis vt alter non habeat iustam occasionem dubitandi quin princeps verè iusserit hoc sibi nunciari. Si hic non credat hoc esse verum aut à principe nunciatum, non solum erit iniurius ipsi nuncio, sed etiam principi suo, cuius reuerentia exigit vt rem illam non tam ob auctoritatē nuncii quàm ob suam credat. hinc talis gubernator si benè erga suum principem sit affectus, habeatq; summam opinionem de ipsius prudentia, quod scilicet nihil nunciabit quod non sit omnino certum; firmitus longè credet hostes venturos quàm id ob solam auctoritatem nuncii crederet; & qui aliàs fortè huic nullo modo crederet ob contraria argumenta quæ haberet, tamen ob reuerentiam sui principis contra iudiciū, quod aliunde conceperat, id crederet: & quo plurius facit suum principem, eo firmitus hoc crederet. Ex quo patet, eum ad credendum non solum rem esse veram, sed etiam principem eam nunciare, moueri immediatè auctoritate principis; aliàs non crederet ea firmitus quàm ei persuaderet auctoritas nunciantis.

75
Qua ratione auctoritas diuina nos moueat vt credamus Deū aliquid reuelasse.

Simili ergo modo intellectus, posita sufficienti rerum fidei propositione, ex imperio & applicatione voluntatis, & vehementi apprehensione reuerentiæ primæ veritati debitæ, & iniuriæ quæ ei fieret si rei propositæ non crederet, fertur toto conatu in huius assensum, credendo non solum eam esse veram, sed etiam à Deo esse reuelatam, id quæ propter Dei testimonium quo ipse testatus est non solum res illas esse veras, sed etiam se id esse testatum, iuxta dicta supra nu. 57. & 58. Et ex his patet responsio ad objectionem allatam num. 48. Ex dictis enim appertè patet, qua ratione hoc ipso quo Deus aliquid reuelauit, & nobis credendum legitimè proposuit, veritas non solum rei reuelatæ, sed etiam ipsius reuelationis habeat necessariam connexionem cum veracitate Dei.

76

Hæc quidem quantum in re obscura fieri potest, adferunt aliquam lucem. Contra dicta tamen restat adhuc satis difficilis obiectio. videntur enim multi esse Christiani simplices, qui nesciunt se debere credere res fidei præcisè propter Dei reuelantis auctoritatem siue testimonium: sed credunt simpliciter, quia Eccl. sia

eas proponit credendas. Imò etiam sæpè docti dum eliciunt actum fidei, non cogitant de diuina auctoritate, sed ad aliquid credendum subito mouentur, quia id in aliquo Concilio definitum vident, aut ob similem causam. Durum autem videtur dicere, hos omnes actus non esse fidei theologicæ, sed assensus merè humanos.

Respondeo, eos simplices, si sufficienter circa ea quæ credunt sunt instructi, non solum eas res qualicumque ratione credere, sed credere eas à Deo esse reuelatas, & sub ea ratione eas credere: & sicut initio priusquam eas fide diuina credant, mouentur auctoritate Ecclesiæ vt velint eas credere; ita etiam mouentur vt velint eas credere ea ratione, qua Ecclesia eas credendas proponit: hæc autem proponit eas credendas vt à Deo reuelatas; qui autem eas credit vt à Deo reuelatas, patet eum has credere ob diuinam reuelationem. Adde, Deum sua gratia præueniente eorum intellectum illustrare, & iuuare, vt, si collaborent, facile possint credere prout oportet.

Nec refert quod sæpè tam ipsi quàm etiam docti, dum actum credunt, non videantur sibi cogitare de reuelatione Dei: hoc enim fit propter assuetudinem & facilitatem in credendo, qua fit vt auctoritate Dei moueamur ad credendum sine reflexione: qua ratione multi sæpè consecrant, aliaque similia faciunt cum legitima intentione etiam actuali, qui quia ad eam non reflectunt, videntur sibi postea legitima intentione caruisse. Item postquam propter testimonium alterius hominis aut similem rationem alicui propositioni sapientius sumus assensu, postea acquisito habitu eidem assentimur non aduertendo nos illo testimonio ad hoc moueri; cum tamen necessariò eo implicite saltem moueamur, cum nihil aliud sit quo ad illum assensum possumus moueri.

Quod si agamus de quibusdam rudibus male in fide instructis, fateor eos multa quandoque credere fide merè humana propter dictum sui Pastoris aut parentis, quos patet non elicere actus fidei theologicæ; nec propterea sententia vera est mutanda, sed illi melius sunt instruendi, vt sciant non solum illa esse vera, sed etiam à Deo esse reuelata.

Ex his demum patet, non esse vitiosas, nec petere principium has aut similes siue argumentationes siue responsiones: Credendum est Ecclesiæ in suis definitionibus, quia Deus in Scriptura testatur, se eam illis semper aditum ne vinquā erret. & rursus, Credendum est hanc esse veram Scripturam sanctam, & verbū Dei; & hunc esse legitimū eius sensum; quia Ecclesia hoc definit. In priore enim reddimus rationē obiectiuam, siue obiectū formale assensus fidei theologicæ: in secundo verò ostēdimus quæ sit infallibilis regula qua nititur & dirigatur illud iudicium quod fide præcedit, & credenda à non credēdis discernit. cuius regulæ auctoritas vltèrius probatur ex ipsa Scriptura apud eos, qui eam eiulq; legitimū sensum admittunt; aut ex alijs fidei notis apud eos, qui illa non admittunt.

77
Etiam simplices credere propter auctoritatem Dei.

78
Cur non aduertamus nos credere ob Dei auctoritatem.

Sæpè multa facimus certam intentione hanc non aduertentes.

79

80

Rectè probamus auctoritatem Ecclesiæ per Scripturam, & contra hæc peccillam.

D V B I V M VI.

Primum reuelatio priuata, an verò publica sit obiectum formale fidei?

Prima hic opinio possit esse, fidem nostram tamquam obiecto formali niti priuata reuelatione, quam Deus vnicuique priuatim inspirat. Hanc videntur sequi multi huius temporis hæretici, qui iudicem controuersiarum constituunt priuatum spiritum vnicuique res fidei reuelantem. Eamque saltem magna ex parte necessariò sequuntur qui fidem iustificantem, quam præcipuam esse volunt, aiunt consistere in assensu, quo quis credidit remissa sibi esse peccata, sequē iustum & filium Dei esse, quos recenset Bellarm. l. 3. de iustificatione c. 3. hæc enim fides non videtur vlla ratione nisi priuata reuelatione posse niti.

Videtur autem posse probari ex D. Iohanne epistola 1. cap. 2. vbi cum suauissimis, quibus scribebat, ne crederent hæreticis, subdit: *Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Vbi cum prius ostendisset quibus non sit credendum, scilicet hæreticis, deinde dictis verbis docet, cui credendum sit, scilicet interne illi vnctioni siue priuata reuelationi, quam vult in ijs manere, vt secundum eam discernant quæ sint credenda, quæ non. vnde vltius subdit: *Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius vos docet de omnibus, & verum est, & non est mendacium: & sicut docuit vos, manete in eo. & nunc filiioli manete in eo.* Vbi videtur illis præscribere solam illam fidem, quam interna vnctio, siue priuata reuelatio eos docet: ergo sola priuata reuelatio est obiectum formale fidei.

Secunda opinio huic errori planè contraria docet, priuatam reuelationem nullo modo posse pertinere ad obiectum formale fidei Catholice, siue eius fidei, qua reliqua mysteria fidei credimus, atque ita nos non posse eadem fide, qua hæc credimus, credere ea quæ Deus fortè nobis priuatim reuelaret. Ita Sotus l. 3. de Gratia cap. 2. in 3. argumento, & Canus l. 12. de Locis theologicis cap. 3. post 3. conclus. Probatur Primò, quia fides Catholica idem est quod vniuersalis, ergo solum se extendit ad ea quæ generatim omnibus credenda sunt proposita. Probatur Secundò, auctoritate & ratione D. Thomæ 1. part. quæst. 1. art. 8. ad 2. vbi ait, nos non probare nostram fidem ex reuelationibus quæ priuatis factæ sunt, quia ipsæ his non nitiuntur; sed solum reuelationibus factis Apostolis aliisque qui canonicos libros scripserunt. vnde 2. 2. q. 5. a. 3. in corpore ait: *Formale autem obiectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis & doctrina Ecclesie.* Terriò, quia ratione nostræ fidei quam ab Apostolis & Prophetis accepimus, dicimur ad Ephes. 2. superedificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum: ergo fides nostra solum potest niti reuelatione iis facta.

CONCLUSIO I. Ad obiectum formale fidei nostræ non requiritur priuata reuelatio, sed sufficit illa quæ per Spiritum sanctum in Pro-

phetis, Apostolis, aliisque hagiographis loquentem generatim toti Ecclesiæ facta est. Est communis omnium Catholicorum, & certa de fide. Probatur, quia Matthæi & Marci vlt. præcipitur Apostolis, vt mysteria fidei prædicent omni creaturæ, ea auctoritate, vt qui crediderint saluentur, & qui non crediderint mortaliter peccent & damnentur. Vbi apertè significatur reuelationem ipsis factam, & per eos toti orbi annunciatam ac credendam propositam, sine vlla alia priuata reuelatione (cuius hic nulla fit mentio) sufficere vt possimus prædicta ab Apostolis accepta credere ea fide, quæ ad salutem requiritur, atque adeò vt sub pœna damnationis ad hoc teneamur. quæ vera non essent, si vera fides requireret priuatam illam reuelationem.

Probatur Secundò, quia ad Ephes. 2. fideles dicuntur superedificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, non ob aliam causam quam quia nostra fides nitiuntur reuelatione iis facta, & per eos generatim toti Ecclesiæ.

Tertiò, probatur ex communi sensu totius ab initio Ecclesiæ, quæ semper suam fidem probauit, non ex priuatis aliquibus reuelationibus singulis factis, sed ex reuelatione facta Prophetis & Apostolis, & per Scripturam sacram ac traditionem nobis proposita ac communicata. Vnde D. Cyprianus epistola 74. ait: *St in aliquo nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam, Evangelicam & Apostolicam traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostræ rationis, vnde & ordo & origo surrexit.* Quibus satis liquet, semper fuisse Ecclesiæ sensum, nostram fidem niti reuelatione facta Apostolis & Prophetis.

Quartò, quia aliàs non posset esse aliqua certa & communis omnibus fides, & consequenter nec catholica, quia nulli posset constare quid alteri esset reuelatum: atque ita quot essent homines, tot essent de rebus fidei opiniones, prout quisque somniaret sibi aliquid esse reuelatum; nec vlli errores ex Scripturis posset conuinci, atque ita fides non dirigeretur infallibili aliqua regula, sed vanis delirantium somniis.

Ad argumentum positum num. 82. Respondet Apostolum ibi solum agere cum iis, qui in fide a se aliisque Apostolis satis erant instructi: & vnctionem quam ibi vult in iis manere, vocat eam fidem, quam per Apostolorum prædicationem à Deo acceperant, siue quam Deus per Apostolorum prædicationem iis reuelauerat. Quod patet ex versu 24. eiusdem capituli, vbi ait: *Et vos quod audistis ab initio* (scilicet à me, cæterisque Apostolis vobis fidem annunciantibus) *in vobis permaneat.* vbi idem dicit de eo, quod ipsi ab Apostolis audierant, quod infra dicit de vnctione, vt ostendat hæc idem esse. Et hæc ita intelligenda esse, vel ex ipsa ratione clarè patet; nam aliàs nec illi quibus tunc scribebat Apostolus, nec alii fideles, antequam Ethnicæ ad fidem conuertendi indigerent aliquo doctore; imò ipsa Scriptura esset frustra: quia Deus omnia quæ credenda sunt, sufficenter vnicuique priuatim reuelaret, nec aliquis

85
Ad Ephes. 2.
cur dicamur
superedificati
supra funda-
mentum A-
postolorum.

S. Cyprian.

36

quis teneretur alia credere, quam quæ Deus ei priuatim reuelasset: quod apertè est absurdissimum, & communi omnium prudentum sensui ac praxi repugnat.

87
Eadem fide priuatim & publicè reuelata credimus.
Bellarm.
Vega.
Malderus.
Turrian.
Sanchez.

CONCLUSIO II. Priuata reuelatio potest esse obiectum formale fidei theologicæ, atque adeo si quid alicui priuatim à Deo reueletur, eadem fide illud credit; quia iam credit alia mysteria fidei. ita Bellarm. lib. 3. de Iustificatio-
ne cap. 3. Vega l. 9. in Trident. c. 3. Malderus 2. 2. q. 1. a. 1. sect. 5. Turrianus disp. 5. dub. 1. & cum aliis Sanch. de præceptis l. 2. c. 7. n. 32.

Probant id aliqui; quia Apostoli quibus immediate fuerunt reuelata fidei mysteria, ea fide diuina crediderunt; & similiter B. Virgo ob priuatam reuelationem credidit se parituram Christum; & Maria Magdalena credidit sibi peccata esse remissa. Sed hæc non pugnant contra sententiam allatam num. 83. nam illi Auctores non negant nos vera fide diuina posse credere ea, quæ Deus nobis priuatim reuelat (hoc enim Sotus loco ibi citato apertè asserit;) sed negant hanc fidem fore eiusdem speciei cum illa, qua credimus alia mysteria fidei, illiusque assensum posse ab huius habitu elici.

Adde, eos Doctores omnem illam reuelationem vocare publicam, & distinguere à priuata quæ fit alicui personæ publicæ, ita ut per eam Deus velit ipsi reuelata toti Ecclesiæ credenda proponere, quales fuerunt reuelationes factæ Apostolis, ac Beatissimæ Virgini; quare etiam libenter concedunt eos his reuelationibus eadem fide credidisse, qua nos iisdem credimus. Adferuntur præterea alia quædam argumenta, quæ parum probant, ideoque ea omitto.

38
Probatur igitur conclusio hoc vno argumento: quia uterque assensus fidei, tam quo quis credit communia mysteria fidei, quam quo credit priuatim sibi reuelata (si quæ Deus ita ei reuelet) nititur immediatè eodem obiecto formali: ergo cum hic nulla sit alia probabilis causa cur dicamus vnum actum specie ab alio distinguui, dicendum est vtrumque esse eiusdem speciei, & ab eodem habitu proficisci. Consequentia est clara. Antecedens probatur, quia uterque assensus fertur in suum obiectum, immediatè & præcisè propter reuelationem siue ob testimonium primæ veritatis: quod autem vna reuelatio sit publica, alia priuata, nec variat eam in ratione testimonii (quia vtrique æqualiter est testimonium primæ veritatis) nec in ratione obiecti, quia is cui vtraque reuelatio facta est, neutro assensu credit, quia testimonium est publicum aut priuatum, sed præcisè quia id, quo res credenda confirmatur siue asseritur, est testimonium Dei.

39
Ad primum argumentum positum num. 83. Respondeo fidem nostram dici Catholicam, propriè prout significat obiectum fidei, iuxta illud Athanasii, *Hæc est fides catholica*. diciturque Catholica siue vniuersalis, non ab aliqua ratione formali, qua noster assensus nititur, aut à conditione aliqua sibi essentiali aut etiam intrinseca: sed quia vniuersaliter omnibus fidelibus credenda proponitur, & ab omnibus or-

Fidem esse catholicam, est denominatio ei extrinseca.

thodoxis quouis tempore iam à Christo nato, imò ab initio mundi fuit explicitè, vel implicitè credita; quæ denominatio ei extrinseca est. Et simili denominatione ratione obiecti, quod ab omnibus fidelibus creditur, ipse habitus fidei quandoque dicitur fides Catholica: aut etià quia ipse habitus secundum speciem est idem in omnibus fidelibus atque ita vniuersalis, quæ patet nullo modo mutare ipsius naturam.

Ad secundum, Respondeo D. Thomam ibi in priore loco non agere de obiecto formali ipsius fidei: sed solum explicare qua ratione propositiones fidei Catholicæ contra hæreticos debeamus probare, nimirum non ex priuatis reuelationibus, quas ipsi non admittunt, sed ex communibus in Scriptura contentis; quæ meritò etiam apud eos magnum pondus habent. In secundo autem loco dicit veritatem primam esse obiectum formale fidei; secundum quod manifestatur in Scripturis sacris & doctrina Ecclesiæ: non quod velit formale obiectum fidei nostræ ad hanc conditionem tamquam ei essentiali restringere; sed partim ut ostendat obiectum formale fidei non esse solum primam veritatem secundum se consideratam, sed includere externam aliquam reuelationem, quæ de facto per Scripturam fit; iuxta dicta dub. 5. partim etiam ut ostendat Ecclesiæ auctoritatem, non quidem esse partiale obiectum formale nostræ fidei; sed (ut statim subiungit) esse infallibilem regulam nixam diuina promissione & Spiritus sancti assistentia proponentem nobis obiecta fidei: ideoque negantem vnum articulum in Scriptura contentum, aut ab Ecclesiâ credendum propositum, implicitè negare auctoritatem primæ veritatis & obiectum formale fidei: & consequenter etiam perdere absolutè fidem, in suo loco ostendemus.

Ad tertium, Respondeo solum probare priorem nostram conclusionem, scilicet fidem Catholicam de facto niti reuelatione facta Apostolis; sed, ut iam respondi, hoc planè materiale, & per accidens est ipsi obiecto formali, nec hoc essentialiter villo modo variat.

Demum his potest obici Quartò, cui priuatim fit aliqua reuelatio, clarè cognoscit hoc sibi à Deo reuelari, & consequenter ipsius assensus nititur reuelatione euidenter cognitam tamquam obiecto formali: ergo est diuersæ speciei ab assensu, quo credit alia mysteria fidei, qui nititur reuelatione obscurè cognita. Respondeo Primò, si hoc argumentum esset efficax, probaret fidem Apostolorum ac B. Virginis fuisse diuersæ speciei à nostra. quod patet falsum esse. Respondeo Secundò, ad secundam partem antecedentis: talem assensum niti quidem ut obiecto formali, reuelatione quæ de facto est ei euidentis, siue quam vider euidenter sibi à Deo fieri; non tamen ea ita niti qua euidentis est, siue ita ut ipsa euidentia ingrediatur rationem obiecti formali (quia sic assensus fidei non esset certior illa euidentia, & consequenter non esset vera fides diuina, quæ omnem naturalem euidentiam debet superare) sed hæc habet se solum per modum proponentis ipsum obiectum; sicut definitio Ecclesiæ, aut lectio Scri-
pturæ

90

91

ptura facta. Sicut igitur quando aliquid in Euangelio lego, euidenter quidem scio hoc ibi contineri, & consequenter ex euidentia notarum fidei, ob consensum totius orbis morali euidentia certò scio (sicut v. c. scio Iulium Cæsarem fuisse) id à Christo nobis esse reuelatum, & tamen fides qua credo tam hoc esse verum, quam id à Deo esse reuelatum, non nititur illa euidentia, sed immediatè reuelatione Dei credita iuxta dicta dubio §. ita etiam fides eius cui aliquid priuatim reuelatur, nititur sola reuelatione; non autem eius euidentia.

D V B I V M VII.

Verum assensus fidei nitatur discursu?

92 **S**ensus est, verum in assensu fidei, quo credo aliquid quod à Deo reuelatum est, explicite vel saltem implicite fiat eiusmodi discursus, quo fides nitatur; Quidquid Deus reuelauit est verum: atqui Deus hoc reuelauit: ergo est verum. Gabr. in 3. d. 23. q. 2. a. 1. post verbum *Quartò differunt*, & quidam recentiores id affirmant. Probat, quia quoties assentimur vni rei propter aliam distincto actu credimus, ibi est verus discursus: atqui in illo assensu fidei credimus rem reuelatam esse veram, quia Deus eam reuelauit, idque distincto actu ab eo, quo credimus reuelationem: ergo hic est verus discursus. Maior patet, quia discurrere nihil est aliud, quam vnam rem ex alia deducere, siue propter assensum vnius rei assentiri alteri, quam video ex ea sequi. Secundò, quia habitus fidei per se respicit reuelationem, & rem reuelatam consequenter ratione reuelationis: ergo operatur per discursum. Tertiò, quia fides humana nititur discursu: ergo etiam diuina.

93 **N**ota cum Vasquez in 1. part. disp. 222. c. 2. & communi sententia, ad verum discursum requiri saltem duplicem assensum, scilicet antecedentis & consequentis, quorum ille sit causa huius: nam ad discursum requiritur vt ex cognitione rei notæ deducam cognitionem rei secundum se ignotæ, aut saltem minùs notæ, quam per illum discursum cognoscitur: hinc quia Deus res omnes in se perfectissimè cognoscit, etsi clarè videat vnam ex alia posse deduci, tamen nullo modo eas cognoscit per discursum.

Dixi, *Rei secundum se ignotæ*, quia non impedit veram rationem discursus, quod consequens mihi iam antea innotuerit mediante eodem antecedente, quo iam in discursu vtor.

94 **S**ecundò, requiritur vt cognoscatur necessitas siue bonitas consequentiæ, siue veritatem consequentis habere connexionem cum veritate antecedentis. Item vt hæc cognitio sit causa cognitionis siue assensus consequentis: in vero enim discursu ideo assentior consequenti, quia video illud sequi ex antecedente, quod scio esse verum: quare qua ratione assensus antecedentis est causa assensus consequentis, eadem ratione assensus consequentiæ eiusdem etiam est causa. Causam autem voco non quidem propriè efficientem, sed quasi obiectiuam

formalem. assensus enim antecedentis & consequentiæ inclinant intellectum ad assensum consequentis; & consequenter hunc causant quatenus seipsum sistant ipsam euidentiam veritatis antecedentis & consequentiæ intellectui præsentem: ita vt utraq; hæc euidentia iam cognita deinde constituat integrum obiectum formale mouens intellectum ad assensum conclusionis.

Ex quibus sequitur malè aliquos reprehendere Suarem, quod in 3. p. tom. 1. disp. 28. sect. 2. dicat in discursu assensum consequentiæ necessariò distinguere ab assensu cōsequentis; nam cum illa debeat esse huius causa, necessariò debet ab eo distinguere. Et cum ideo assentiar conclusioni quia video eam sequi ex antecedente, necessariò debeo prius saltem naturā videre eam consequentiam, & consequenter alio actu. Confirmatur, quia hi duo assensus habent obiecta formalia non solum omnino distincta, sed etiam diuersæ rationis; nam assentimur consequentiæ propter intrinsecam ipsius euidentiam; consequenti verò propter euidentiam præmissarum, & clarā illius cum his connexionem. vnde patet esse actus non solum numero, sed etiam specie distinctos.

96 **C**ONCLVSIO. Fides theologica nullo modo nititur discursu: sed sine eo immediatè credit rem reuelatam propter reuelationem quidem, tamen sine vllò respectu ad euidentiam siue assensum consequentiæ. Ita Valentia 2. 2. d. 1. qu. 1. puncto 2. & Turrian. disput. 6. dub. 1. Probat, quia fides est certior quavis naturali scientia; atqui secundum aliam sententiam, hoc esset falsum: ergo, &c. Maior communiter ab omnibus conceditur, & infra eam ex professo probabo. Minor probatur. Quia nullus assensus potest esse certior sua ratione formali, qua nititur: atqui secundum aliam sententiam assensus fidei tamquam ratione formali nititur cognitione naturali bonitatis consequentiæ illius syllogismi: ergo non poterit hac esse certior. Confirmatur. nam in omni alia argumentatione assensus conclusionis nunquam potest esse certior assensu consequentiæ: quantumcumque enim antecedens sit certissimum; tamen, si consequentia sit dubia aut solum probabilis, assensus conclusionis erit dubius aut solum probabilis.

97 **P**robat, Secundò, quia aliàs sequeretur, multos rudes, aut nullum aut non nisi incertum ac dubium assensum fidei posse elicere; quia ipsi non vident bonitatem ac certitudinē consequentiæ, aut saltem non nisi dubiè & incertò: nec enim ipsi possunt vllò modo certò scire, qui syllogismi sint boni, qui non; sed seidè circa omnem omnino consequentiam, an bona sit, nec ne dubitant. absurdissimum autem est dicere, tales non credere certa & indubitata fide mysteria nostræ fidei, cum multos eorum videamus in fide constantissimos.

98 **R**espondent aliqui, dictam consequentiam cognosci etiam lumine fidei quod in rebus fidei facit infallibiliter cognoscere necessariam omnino connexionem rei reuelatæ cum reuelatione diuina.

Sed

Qua ratione assensus antecedentis & consequentiæ causant assensum consequentis.

95 **S**uarez. Assensus cōsequentis necessariò distinguitur ab assensu consequentis, tamquam causa ab effectu.

96 **V**alentia. Turrian.

Quare Deus non discursat.

93 **V**asquez. Quare requiritur ad discursum.

Sed contrā, vel lumen fidei facit nos eam cō-
nexionem euidenter & in se cognoscere; vel
obscure, & propter aliud, scilicet propter au-
thoritatem diuinam. Prius dici nequit, quia hoc
nullo modo in nobis experimur, cum tamen
evidentiam cuiusvis assensus clarē possumus in
nobis notare; tum etiam quia est contra natū-
ram fidei, quā obscura est, nec facit obiectum
suum clarē cognosci. Secundum etiam dici ne-
quit; tum quia hęc bonitas consequentię de-
beret propter auctoritatem Dei reuelantem
credi, per alium discursum, & bonitas huius dis-
cursus per alium; & sic in infinitum. Tum et-
iam quia nulla ratione potest probari Deum re-
uelasse, atque ita esse de fide hūc syllogismus
esse bonum: *Quidquid Deus reuelauit est verum;*
Deus hoc reuelauit: ergo est verum. nulli enim in
tota Scriptura aut vlla Ecclesię definitione ha-
betur Deum hoc reuelasse. Vel tandem dicen-
dum erit, fidei credi dictam consequentiam ef-
se bonam, non tamen propter reuelationem
aut auctoritatem diuinam, sed quia lumen fidei
hoc docet siue demonstrat; atque ita reuelatio
& auctoritas diuina non erit generatim obie-
ctum formale omnis assensus fidei; quod absurd-
um est. & sic etiam incidimus in sententiam
refutatam n. 57. & 62. His adde, eum qui in di-
cto syllogismo crederet, maiorem, minorem
& consequens esse vera, & tamen ex ignoratio-
ne formę syllogisticę, aut aliam ob causam ne-
garet illam consequentiam esse certam, non fore
hæreticum: ergo non est de fide illam esse
certam & infallibilem.

99 Probatur conclusio. Tertiò, eadem fide pro-
pter auctoritatem primę veritatis, credo Deū
reuelasse se esse trinum & vnum, quia credo hoc
esse verum; atqui non credo illud per eundem
discursum; ergo nec hoc. Conclusio patet;
quia duo assensus quorum vnus nititur discursu,
& alius non, cum habeant diuersa obiecta
formalia, necessariò sunt diuersę speciei. Minor
probat, quia aliàs deberem prius in antece-
dente assentiri huic: *Deus reuelauit se hoc reuelasse;*
idque vel fide diuina, & sic iretur in infinitum
(quia id ipsum deberem credere ob aliam re-
uelationem, & per alium discursum) vel cogni-
tione aliqua humana propter notas fidei, aut
auctoritatem hominum id asserentium: & sic
tandem tota nostra fides vltimò niteretur, non
auctoritate diuina, sed eiusmodi cognitione.
quod absurdissimum est. Ex quibus patet, as-
sensum theologicum & assensum fidei habere
obiecta formalia planè distincta: nam prior ha-
bet pro obiecto formali assensum vtriusque
præmissę (quarum vna sæpè est naturaliter
cognita) & consequentię: ideo enim assentior
conclusioni theologicę, quia prius assentior
præmissis & consequentię. Assensus verò fidei
immediatè nititur sola auctoritate ac testimo-
nio Dei, vt obiecto formali. ideoque vterque
assensus necessariò speciei differt, & habet di-
stinctos habitus.

100 Ad argumentum positum num. 92. Respon-
deo maiorem solum esse veram, quando assen-
tior vni rei propter aliam, quia video illam ex
hac sequi, siue propter necessariam aut proba-

bilem vnus ex alia consequentiam, quod su-
pra ostendimus assensum fidei non fieri. Adde Pri-
mò, etsi possumus prius distincto assensu crede-
re reuelationem, quàm rem reuelatam, & sæpè
etiam hoc ita fiat in iis qui primò ad fidem
conuertuntur; tamen hoc non est necesse, nec
communiter in fidelibus fit; qui, dum in res a-
liqua vt reuelata sufficienter proponitur, vno
simplici actu & rem reuelatam & reuelationem
credunt: sicut vno actu videmus lumen & rem
illuminatam.

Adde Secundò, vt assentiar alicui propo-
sitioni per discursum, non sufficere quòd ei as-
sentiar propter aliam rem distincto actu cog-
itam: sed de beo ei assentiri propter cogniti-
onem illius rei, ita vt ipsa cognitio sit causa ob-
iectiua assensus consequentis. hoc autem in fi-
de non fit: nec enim credo Deum esse trinum,
quia credo eum id reuelasse, sed simpliciter
quia ipse hoc reuelauit. Quod vel inde patet,
quia aliàs non possemus credere Deum esse, ni-
si antè crederemus eum hoc reuelasse; atque ita
etiam nisi consequenter prius crederemus Deū
esse. nam hæc propositio, *Deus hoc reuelauit*, in-
cludit hanc, *Deus est*: nam est eadem cum hac,
Deus est hoc reuelans. atque ita prius necessariò
crederemus Deum esse, quàm crederemus eum
esse. Vrgitur eiusmodi absurda euitemus, ne-
cessariò dicendum est, nos non credere Deum
esse, aliāque reuelata, quia credimus ea esse re-
uelata, sed immediatè quia reuelata sunt.

Ex quo etiam patet, me longè aliter assentiri
propositioni de fide propter reuelationem,
quàm assentiar conclusioni propter euidentiam
consequentiam; quia eum conclusioni non assen-
tiar propter solam euidentiam consequentię,
sed necessariò etiam propter euidentiam præ-
missarum, (quia assensus necessariò sunt distin-
cti) non possum conclusioni & consequentię
eodem actu assentiri. Secus fit in fide, quia im-
mediatè propter reuelationem credo rem re-
uelatam, atque eodem assensu vtrique assentiri
possum: cum propter idem omnino medium
vtrique assentiar. Denique ex his etiam eueni-
ter probatur nostra conclusio.

Ad secundum, nego consequentiam: quia
ex antecedente solum sequitur, rem reuelatam
secundum se sumptam non esse obiectum fi-
dei, sed solum prout substat reuelationi; cum
quo optimè stat, fidem sine vilo discursu in v-
trumque ferri, sicut visio fertur in rem illumi-
natam.

Ad tertium, quidquid sit de antecedente,
nego consequentiam. quia in testimonio hu-
mano intellectus nititur tamquam obiecto for-
mali aliqua euidentia, tum ipsius attestatiōis,
tum veracitatis ipsius attestantis, & his deter-
minatur ad assensum consequentis, nec firmius
adhæret saltem communiter ipsi rei creditæ
quàm illa persuadeant: quare non est mirum si
ibi interueniat aliquis saltem virtualis discursus.
secus est in fide diuina, vbi intellectus, nul-
la euidentia, sed sola auctoritate diuini testi-
monii, vt obiecto formali nititur, & à volun-
tate determinatur ad assensum rei reuelatę.

Dices, hinc sequi, saltem fidem eorum, qui-
bus

Crederem-
nam rem
propter ali-
quando dis-
currat, &
quando non.

Reuelatio &
res reuelata
communi-
ter eodem
actu credun-
tur.

101
Alia diuersi-
tas inter
discursum &
fidem.

Aliter assen-
tior conclu-
sioni ob eu-
identiam cō-
sequentię,
aliter pro-
positioni de
fide ob re-
uelationem.

Cur in fide
humana sit
potius dis-
cursus quàm
in diuina.

103

bus immediate facta est reuelatio à Deo, quibusque consequenter ipsa reuelatio est euidentis (ut accidit B. Virgini, Prophetis, & præcipue primo angelo, qui euidenter cognoscebat obiecta fidei sibi à Deo reuelari) nisi aliquo discursu. Respondeo negando consequentiam: quia eorum fides nullo modo nitebatur ea euidentia (ut ostendit n. 91.) sed sola diuina auctoritate reuelante. Quamuis fuerit in ipsis simul alius assensus merè naturalis, & quædam scientia à posteriori, quæ nitebatur euidentia & discursu, ut ostendam dubio sequenti.

D V B I V M VIII.

Utrum cognitio orta per discursum ex euidentia attestantis sit fides, an scientia, aliaue cognitio absolute euidentis?

104 **E**xempli causa, angelo præfertim primo in uia erat omnino euidentis, Deum sibi reuelare mysterium SS. Trinitatis: clarissimè enim videbat hanc reuelationem sibi fieri, nec posse fieri ab alio, quàm à Deo; item naturali lumine clarè videbat impossibile esse Deum mentiri, & consequenter quidquid ipse dicebat, esse necessariò verum.

Quæritur igitur, utrum hæc cognitio debeat dici fides, an scientia à posteriore, aut saltem cognitio euidentis?

105 **P**rima opinio docet, eiusmodi cognitionem debere dici absolute euidentem & scientiam à posteriori. Hanc citat Durand. in 3. d. 23. qu. 9. littera N. & videtur eam probare Bañez, qui 2. 2. qu. 5. art. 1. concl. 2. docet, posito quòd angelus euidenter sciuerit mysterium Trinitatis sibi à Deo reuelari (quod tamen non videtur admittere) etiam à posteriori euidenter sciuisse hoc esse verum. eandem tenet Valètia 2. 2. disp. 1. q. 5. puncto 1. & plures alii recentiores. Et probatur, quia hic syllogismus, *Quidquid Deus reuelat est necessariò verum: Deus hoc reuelat: ergo hoc est necessariò verum*; non minùs est euidentis quàm quæuis alia demonstratio à posteriore: ergo non minùs gignit euidentem scientiam, quàm hæc. Adferuntur plures aliarum probationes, sed ferè omnes ad hanc referuntur.

106 **S**ecunda opinio docet, talem cognitionem non debere dici scientiam à posteriore, aut absolute euidentem: sed solum euidentem in attestante. Hanc docent quidam recentiores apud Turrian. 2. 2. q. 1. disp. 9. dub. 3. & tribuitur Caietano 2. 2. q. 5. art. 1. sed ibi satis obscure loquitur, & videtur potius in contrarium inclinare. nam docet per talem discursum, non acquiri euidentiam rei in se, (qua scilicet natura ipsius in se clarè cognoscatur,) sed solum acquiri euidentiam quæ veritas rei clarè cognoscatur in attestante siue propter attestantem: quod verum est, & etiam prior opinio faretur; in hoc tamen à Caietano discrepat, quòd hic loco citato admittit eiusmodi cognitione verè euidentem cognitioni veritatem rei reuelatæ, siue quòd hæc vera sit; quod tamen Auctores illius sententiæ negant.

Probatur hæc opinio, quia solum est duplex *Coniunctio de act. supernat.*

demonstratio qua possit gigni scientia: Prima est à priori, qua effectus demonstratur per causam. Secunda à posteriore, qua demonstratur causa per effectum; ad quam refertur ea qua ex contradictorio conclusionis inferitur aliqua contradictio in his quæ habent connexionem ex natura rei cum conclusione. Antiqui enim has solas agnouerunt demonstrationes, nec licet nobis alias fingere: atqui dictus syllogismus neutro ex his modis aliquid demonstrat: ergo non est demonstratio, & consequenter non gignit cognitionem euidentem.

Tertio, igitur dici posset, dictam cognitionem esse fidem. Probatur, quia omnis ille assensus siue cognitio est fides, quæ tamquam medio siue ratione formali nititur alterius testimonio: atqui dicta cognitio ita nititur testimonio Dei; nam reuelatio siue testimonium Dei est medium illius syllogismi: ergo illa cognitio est fides. Et confirmatur, quia etiam fides humana videtur niti tali discursu, scilicet hoc: *Quidquid Iohannes, qui est vir probus, mihi testatur, est probabiliter verum: atqui ipse mihi hoc testatur: ergo hoc est probabiliter verum.*

Pro resolutione Nota, strictè loquendo hæc duo multum inter se distingui, scilicet, *Hæc res siue quòd Deus sit trinus & vnus, est mihi in se euidentis*; & *Euidentis est mihi, quòd hæc propositio, Deus est trinus & vnus, sit vera*. Quibus æquivalent hæc duæ: *Connexio inter dictum subiectum & prædicatum mihi in se est euidentis*; & *Euidentis est mihi, inter dictum subiectum & prædicatum esse connexionem, siue ea esse connexa*. In utroque enim calu in prior propositione si strictè velimus loqui, significatur naturam subiecti & prædicati, aut saltem naturam & qualitatem connexionis, quæ inter ea est, mihi clarè esse cognitæ, siue me clarè scire qua ratione prædicatum conueniat subiecto, qualisque inter ea sit connexio. In secunda solum significatur me clarè scire eam connexionem inter ea verè à parte rei esse. quod potest esse verum, etsi ignorem qualis ea sit; atque ita secunda propositio potest esse vera etsi prior sit falsa.

Probatur exemplo. nam ex eo quòd videam magnetem attrahentem ferrum, clarè colligo & scio à posteriori eum habere in se vim id attrahendi, & consequenter clarè scio hanc esse veram: *Magnes habet vim attrahendi ferrum*; ignore tamen qualis sit hæc vis, aut quomodo hæc attractio fiat. Et consequenter hæc, *Magnes habet vim attrahendi ferrum*, est mihi in se ineuidentis, & solum euidentis in effectu. Quod adhuc clariùs est, quando videmus rem aliquam ex alia aut semper aut ferè semper sequi, & ignoramus an id fiat vi aliqua ipsi rei intrinseca, an verò virtute diuina aut etiam dæmonis, ut contingit in occiso emittente sanguinem præsentem occisore: quod nobis euidentis est fieri, cum tamen sit obscurissimum quomodo id fiat; atque adeò euidentis est, præsentiam occisoris habere vim causandi eam emissionem sanguinis: qualis tamen sit hæc vis, & unde eam habeat obscurissimum est.

Satis autem constat, euidentiam attestantis non facere mihi rem in se euidentem; & consequenter

107

108

Possum euidenter cognoscere aliquam propositionem esse veram, etsi ipsa secundum se mihi sit obscura.

109

quenter angelo in via non fuisse absolute in se evidens Deum esse trinum & unum, neque hoc ullus unquam asseruit. Sed quaritur utrum ratione reuelationis quam clare videbat sibi fieri, euidenter cognouerit hoc esse verum. Quamuis autem inter primam & secundam opinionem possit alicui videri magis esse questio de nomine quam de re; tamen quia inde magna ex parte pender alia questio realis, scilicet an fides possit consistere cum actuali scientia, illa necessarium hic nobis explicanda est. Suppono autem hic quod paucis exceptis omnes concedunt, angelum, praesertim primum, clare cognouisse eam reuelationem sibi a Deo fieri. quod etiam disput. 11. dub. 2. probabo.

110 **CONCLUSIO I.** Talis cognitio debet absolute dici evidens. ita Auctores primae sententiae. Probatur, quia illa cognitio est absolute evidens, quae habetur ex praemissis euidentibus, per euidentem consequentiam: atqui illa cognitio est talis (nam, ut hic supponimus, ille angelus euidenter cognoscit maiorem & minorem esse veras, & consequentiam esse bonam:) ergo illa cognitio est evidens.

Maiores probatur Primò, quia euidentia gignit euidentiam, & omnis ille assensus est evidens, qui nititur obiecto formali euidenti. (quia per hoc distinguitur ab obscuro:) atqui hic assensus est talis (nititur enim tamquam obiecto formali euidenti cognitione antecedentis & consequentiae) ergo est evidens. Secundò, quia ideo praecise in alia demonstratione, praesertim à posteriore, assensus conclusionis est evidens, quia habetur per euidentem consequentiam ex praemissis euidentibus.

Confirmatur, quia secluso imperio voluntatis nihil conuincit intellectum eumque necessitat ad assensum nisi rei euidentia: atqui intellectus in tali casu omnino conuincitur, & sine imperio voluntatis ad assensum conclusionis necessitatur: ergo eius veritas est ei evidens.

111 Dices Primò, hinc non sequi, eam veritatem siue cognitionem esse angelo absolute euidentem, sed solum esse euidentem in attestare. Sed contra, vel eam veritatem solum esse euidentem in attestare est particula alienans. Sicut cum imago dicitur homo pictus ita ut significetur illam veritatem solum esse euidentem ipsi attestanti, non autem ipsi angelo; & hic sensus aperte falsus est. nam argumenta allata clare probant eam veritatem ipsi angelo esse euidentem. Vel solum significat eam veritatem non esse illi angelo in se, siue per se immediate euidentem; sed solum ratione ipsius reuelationis; & sic ea propositio est quidem vera, sed inde non sequitur, eam veritatem non debere absolute dici euidentem angelo. Quia quoties aliquid cognosco per demonstrationem à posteriore; conclusio non est mihi evidens in se, sed solum in suo effectu, & tamen dicitur mihi absolute esse evidens, ita ut dicar absolute euidenter cognoscere eam esse veram: ergo idem dicendum est in alio casu.

112 Dices Secundò, Deus reuelat illi angelo mysterium Trinitatis obscure, quia hic per eam nec mysterium Trinitatis, nec Deum clare cog-

noscat: ergo ipsa reuelatio est obscura, & consequenter nequit parere claram cognitionem. Respondeo, eam reuelationem eatenus dici obscure, quatenus non facit angelum videre siue cognoscere rem reuelatam prout in se est; & hac ratione parit cognitionem obscuram & enigmaticam circa ipsam naturam & conditionem rei reuelatae. Alia tamen ratione dicitur clara, quatenus angelus clare videt eam sibi a Deo fieri; & hac ratione parit claram cognitionem veritatis rei reuelatae; siue quia angelus clare cognoscit hanc esse veram; etsi ignoret qua ratione vera sit; sicut videndo ferrum à magnete attrahi clare cognosco id ab eo attrahi, etsi ignorem qua ratione id fiat, an immediate agendo in distans, an producendo aliquam qualitatem in medio.

Ad argumentum contrarium positum num. 106. Respondeo hanc demonstrationem esse à posteriore: nam etsi non sit proprie ab effectu, est tamen ei similis, & ad eam reducitur; sicut ad eam reducitur omnis demonstratio, quae sit per reductionem ad impossibile, siue ad contradictorium eius quod habet cum re demonstrata apertam & necessariam connexionem, & si lubet, etiam sibi intrinsecam: nam etsi res reuelata non habeat intrinsecam connexionem cum reuelatione; tamen diuina reuelatio habet intrinsecam, naturalem ac omnino necessariam connexionem cum veritate rei reuelatae, ita ut ex ipsius natura implicet eam esse in rerum natura, & tamen rem reuelatam esse falsam: atque ita etsi non sit mutua, tamen est magis essentialis inter reuelationem & veritatem rei reuelatae connexio, quam inter effectum & causam naturalem efficientem; quia haec possunt absolute à se mutuo separari, omnino autem implicat reuelationem poni sine veritate rei reuelatae.

114 Ut haec autem sint clariora, Nota, cum demonstramus causam per effectum, ipsum effectum quatenus est praecise effectus, non esse nobis proprie rationem formalem seu medium certum cognoscendi causam eiusque existentiam; nam calor à sole productus non minus est ipsius effectus, quam lumen, & tamen ex praesentia talis luminis certo demonstramus siue cognoscimus praesentiam solis; non tamen ex praesentia caloris, quia hic idè per se aliunde potest produci, & absente sole perseverare; sed ideo praecise ex aliquibus effectibus clare demonstramus praesentiam causae, quia ratione necessariae connexionis & dependentiae vnius ab altero, existens effectus est evidens signum existentiae causae; & consequenter quo illa connexio seu dependentia est magis necessaria, eo effectus est signum magis evidens & infallibile, & ex eo existentia causae certius & euidentius demonstratur. Cum igitur inter reuelationem diuinam & veritatem rei reuelatae sit longè euidentior & magis necessaria connexio, quam inter existentiam effectus & existentiam causae creatae (cum ille sine hac absolute saltem miraculose possit existere) consequenter ex ipsa reuelatione longè certius & euidentius demonstratur veritas rei reuelatae, quam existentia ullius causae creatae possit demonstrari ex effectu.

CON-

Qua ratione reuelatio si-
da angelo
fuerit obscu-
ra, & qua ra-
tione clara.

Diuina reu-
latio habet
naturalem
connexionem
cum veritate
rei reuelatae.

Causa de-
monstratur
ex effectu
praecise ra-
tione conne-
xionis, quae
inter eas est.

Ex reue-
latione diuina
perfectius
demonstratur
veritas reu-
lata quam
causa creatae
ex effectu.

Secluso im-
perio volun-
tatis sola e-
uidentia ne-
cessitat in-
tellectum.

Veritas eu-
dens in at-
testante potest
dici absolute
evidens.

115 **CONCLUSIO II.** Dicta cognitio non potest dici fides, quia fides nritur tamquam obiecto formaliter alieno testimonio formaliter sumpto, siue quatenus habet præcisè rationem testimonij: dicta autè cognitio non nritur testimonio Dei formaliter sumpto, siue quatenus præcisè habet rationem testimonij; sed solum quatenus est evidens signum veritatis ipsius rei reuelatæ. Sicut quando audio Iohannem mihi dicentē se viuere, assensus quo id credo nritur eius dicto, non quatenus est testimonij aliquod, sed quatenus est evidens signum vitæ ipsius: ideoq; non est fides, sed scientia à posteriore: quod vel inde patet, quod siue is, qui mihi hoc dicit, habeatur verax, siue perpetuò mendax, eodem modo ac æquè sumitur mihi persuadēdo eum viuere. quod falsum esset si propriè dicta fide hoc crederem: nam hæc nūquam sumitur nritur testimonio hominis habiti pro mendace. Ex quo patet solutio argumenti positi n. 107.

116 Ad confirmationē Respondeo, etsi fortè fides humana saltem communiter nritur aliquo discursu, tamē nritur etiam ipso testimonio hominis formaliter sumpto, non autem quatenus est certum, aut etiam probabile signum veritatis rei testatæ ratione connexionis quā cum hac habet, quia ex se nullam omnino huiusmodi connexionem habet, cum non sit magis necessariò verum, quā falsum. Simile ferè est cum nostro casu est quando credo Romam esse in Italia, quia omnes ferè mortales id testantur. cum enim moraliter impossibile sit omnes illos ea in re falli aut mentiri, ille assensus non est propriè fides, sed quædam scientia à posteriore moraliter certa.

D V B I V M IX.

Utrum propositio quæ per euidētem consequentiam deducitur ex principiis fidei, sit de fide, siue obiectum fidei?

117 **Q**uidam affirmant eiusmodi propositionē non quidem omnibus, sed ijs qui clarè vident eam consequentiam, esse de fide, eosq; eā fide diuina credere. Ita Catharinus opusculo de Certitudine gratiæ, assert. 6. Vega lib. 1. in Concil. Trident. c. 39. Canus l. 6. de locis Theolog. c. vltimo ad 10. vers. *Sed & id postremò.* Probatur Primò, quia qui negaret conclusionē quā ita videret clarè deduci ex propositionibus reuelatis, esset hæreticus: ergo illa est de fide. Secundò, quia Ecclesia multa hoc modo ex principiis fidei deducit & proponit credenda, quæ non sunt in Scripturis aut traditionibus reuelata: ergo eiusmodi propositiones ijs qui vident talem consequentiam sunt de fide. Tertiò, quia ea quæ legimus in Scriptura aut in Ecclesiæ definitionibus, credimus fide diuina, cum tamen non sciamus ea à Deo esse reuelata, nisi mediante hoc discursu: Quid quid haberetur in Scriptura aut Ecclesiæ definitionibus est à Deo reuelatū: hæc sunt talia: ergo sunt à Deo reuelata. Cuius minor est solum cognita naturali lumine, quia nimirum illa in Scriptura aut Cōcilijs legimus. Quartò, quia qui videt hostiam à sacerdote consecratam de act. supernat.

secratam adorandam offerri, propter hunc syllogismum: Omnis hostia rite consecrata continet Christum: hæc est talis: ergo hæc continet Christum; fide diuina credit Christum in ea verè contineri: quia aliàs non posset eam absolutè, sed solum sub cōditione adorare. Quintò, quia hic est bonus syllogismus: Est de fide omnè validè baptizatum suscipere characterē: atqui hic puer est validè baptizatus: ergo est de fide hūc accepisse characterē. vnde vltimò infertur propositionē deductam ex propositione de fide esse de fide.

Nota Primò, hanc sententiā posse habere duplicem sensum. Primò, vt velit nos credere tali propositioni propter euidētiā ipsius consequentiæ, quæ ex principiis de fide deducitur, ita vt ipsa euidētiā consequentiæ sit partiale obiectum formale assensus fidei. Et in hoc sensu satis manet refutata ex dub. 7. vbi ostendi, fidē nostram nullo modo posse ita niti euidētiā cōsequentiæ, quia aliàs non esset certior quā sit cognitio illius consequentiæ, quod tamen falsum est. Secundò, vt ipsa euidētiā consequentiæ habeat se solum per modum proponētis obiectum fidei; & sit solum obiectum formale istius iudicij, quod assensum fidei præcedit, quodq; iudicamus aliqua verè esse à Deo reuelata. Sicut dub. 5. concl. 3. dixi de testimonio Ecclesiæ. Vasquez autem l. 1. p. disp. 3. num. 8. docet Vegam & Canum in secundo hoc sensu intelligendos esse, eosq; in hoc sensu infra impugnabimus.

Nota Secundò, dictam sententiā posse intelligi in triplici casu. Primò, quando aliqua propositio euidēter infertur ex duabus de fide, vt cōtingit in hoc syllogismo: Omnes quibus Christus dedit potestatem absoluendi à peccatis, hanc verè habuerunt: atqui Christus contulit eam S. Petro: ergo hic eam habuit. Sed in hoc casu semper significatum conclusionis saltem implicite continetur sub significato alterius aut vtriusque præmissæ, atque ita necessariò est saltem implicite reuelatum, v. c. in dicto exemplo significatum conclusionis, siue D. Petrum accepisse eam potestatem, implicite significatur per minorem: qui enim dicit Christum dedisse S. Petro hanc potestatem, implicite dicit sanctum Petrum hanc accepisse, non solum mediante aliqua consequentiā & connexionē significatorum inter se, sed ex vi significationis verborum: me enim alteri aliquid efficaciter dare significat hunc illud accipere. Secundò, quando conclusio infertur ex vna de fide, & altera naturaliter cognita, quæ tamen non sit contingens, sed necessaria, vt in hoc syllogismo: Omnis homo est risibilis: Christus est homo: ergo est risibilis. Tertiò, quando conclusio deducitur ex vna propositione de fide, & altera naturaliter nota, contingente tamen. v. c. Omnis legitimè baptizatus recepit gratiam: hic infans est talis: ergo recepit gratiam. Auctores autem supradicti intelligunt suam sententiā de omnibus his casibus.

Nota Tertiò, duobus modis vnā propositionem posse inferri ex alia. Primò, immediatè ex vi significationis, siue quia illa virtute idem significat quod hæc. v. c. hæc, Omne animal est corpus, virtute significat hæc, Homo est corpus;

Q 2

pus;

118

Vasquez.

119 Conclusio potest tripliciter deduci ex antecedente de fide.

120 Vna propositio dupliciter ex alia infertur.

pus; quia homo est aliquod animal. quare dum hæc ex illa inferitur, non inferitur propriè una res ex alia, aut una propositio ex alia omnino distincta: quia dictæ propositiones etsi verbis, atque ita materialiter differant; tamen formaliter ratione eiusdem significationis sunt saltem ex parte una & eadem, quia eandem rem significant (scilicet homo est corpus.) sed ex significato generatim sumpto inferitur idem speciatim sumptum. Secundò, potest una propositio ex alia inferri præcisè ratione connexionis inter utriusque significatum. v. c. ex hac, Christus est verus homo, inferitur, ergo est risibilis; non vi significationis, quia prior non significat secundam, sed quia risibilitas habet cum natura humana necessariam connexionem. & de hoc casu est præcipua difficultas.

121

CONCLUSIO I. Propositio quæ priori modo ex dictis, siue immediatè ex vi significationis utriusque, inferitur ex propositione reuelata, est de fide. Paret, quia ipsius significatum est etiam verè, etsi aliis verbis à Deo reuelatum: qui enim testatur omne animal à Deo esse creatum, etià testatur quamvis animalis speciem, atque adeò hominem à Deo esse creatum, idque non solum mediante aliqua illatione siue consequentia, sed immediatè & secundum se, licet aliis verbis. Confirmatur, quia hæc duæ propositiones, *Omne animal est à Deo creatum: & Homo & brutum sunt à Deo creatum.* quo ad rem significatam sunt omnino una & eadem propositio: ergo qui priorem asserit, etiam immediatè asserit secundam. Sicut qui asserit hoc esse gladium, simul asserit esse enssem. vide plura in disp. 6. dub. 1.

Nullus assensus nitens evidentiā consequentiæ est fidei.

Valentia.

Vbi tamen notandum, evidentiā consequentiæ in eo casu non ingredi formale obiectum assensus fidei, sed solum proponere intellectui ipsam reuelationem siue obiectum formale assensus fidei: quare omnis assensus qui nititur evidentiā consequentiæ ut obiecto formali, solum potest esse assensus theologicus, ut bene notat Valentia 2.2.d.1.q.1. puncto 2. in solut. 3. argumenti.

122

Valentia.
Turrian.
Sotus.
Molina.

CONCLUSIO II. Ea quæ solum secundo modo deducuntur ex propositionibus reuelatis, non sunt de fide; sed solum conclusiones theologice. Ita Valent. sup. Turrian. 2.2. disp. 6. dub. 3. Sotus l. 3. de Gratia c. 3. in 3. argum. Molina 1. p. q. 1. a. 2. d. 1. & alij. Probatur, quia, ut ostendi supra dub. 5. concl. 2. nihil potest fide divina credi nisi sit à Deo reuelatum: atqui propositio dicto modo ex propositionibus reuelatis deducta, non est à Deo reuelata: ergo nequit fide divina credi.

123

Dices, Etsi Deus non reuelauerit eam explicitè & in se, reuelauit tamen eam implicitè & in alio ex quo deducitur.

Sed etsi hæc responsio possit alicui fortè videri probabilis, quando aliqua propositio apertè deducitur ex duabus de fide, quia tunc per se & immediatè sequitur ex reuelatis, non tamen quando deducitur ex una de fide & altera naturaliter nota: quia tunc non sequitur immediatè & per se ex propositione reuelata, sed solum mediatè & per accidens, ratione propositionis naturaliter cognitæ, quæ à Deo non est reuelata: atque ita non potest magis à Deo ef-

se reuelata quàm hæc sit reuelata. cum enim non possit participare esse reuelatum nisi ratione evidentiæ consequentiæ ex reuelatis, nec possit hanc consequentiam habere, nisi ratione propositionis non reuelatæ, siue hac mediante, sequitur eam non magis participare esse reuelatum, quàm hæc id participet. Sicut quando aliqua conclusio sequitur ex aliqua certa, & alia tantum probabilis, quia certitudinem prioris non potest participare, nisi mediante secunda, non potest hac vilo modo esse certior.

124

Confirmatur Primò, quia aliàs conclusio non habens certitudinem nisi ratione consequentiæ ex præmissis, posset esse certior altera præmissarum: illud autem apertè est absurdum: ergo & id vnde sequitur. Maior probatur, quia cum talis conclusio non sit in se reuelata, non potest participare certitudinem reuelationis, nisi ratione consequentiæ, siue quia sequitur ex illis præmissis: & tamen secundum aliam sententiā esset de fide, & consequenter certior sua præmissis, quæ non est de fide. Confirmatur, quia aliàs posset quis dici esse testatus id, quod ipse penitus ignorat, nec unquam vilo modo fuit suspicatus. v. c. Hortulanus aliquis benè nouit nicotianam, penitus tamen ignorat eam habere vim sanandi vulnera; mihi verò scienti quidem nicotianam habere eam vim, ignorant tamen qualis herba sit nicotiana, ipse certa herba demonstrata testetur eam esse nicotianam; quo casu secundum aliam sententiā ille mihi testetur hanc herbam habere vim sanandi vulnera, cum tamen ipse hoc penitus ignoret. Item qui mihi testaretur omnem accipientem aliquid pro mutuo ultra sortem, esse usurarium, simul testaretur Iohannē, qui hoc occultè facit, quem ipse numquam nouit, neque de eo unquam aliquid audiuit, esse usurarium. quæ absurda sunt.

125

Dices, Qui mihi testatur omnem legitime baptizatum habere characterem, etià implicitè testatur hunc legitime baptizatum, v. c. Iohannem, habere characterem. Sicut qui testatur omnem hominem esse animal, etiam implicitè testatur Iohannem esse animal. Respondeo, talem testari quidem hunc baptizatum formaliter sumptum habere characterem, sicut tamen nec explicitè nec implicitè testatur Iohannem esse baptizatum, & consequenter nec testatur eum esse hunc baptizatum, ita nec testatur eum habere characterem. vnde bene quidè sequitur, esse de fide hunc baptizatum formaliter sumptum habere characterem; non tamen sequitur esse de fide Iohannem habere characterem: quia Iohannes non significat hunc baptizatum formaliter sumptum siue qua talem; verè tamen significat hunc hominē formaliter sumptum, & qua talem; ideoque qui testatur omnem hominem esse animal, etiam testatur Iohannem esse animal.

Ad primum argum. positum n. 117. nego antecedens: nam contradictorium propositionis quæ solum secundo modo ex dictis n. 120. deducitur ex reuelatis, solum est erroneum, non autem hæreticum.

Ad secundum, Respondeo Ecclesiam multas propositiones quæ priore modo ex dictis num.

126

120.

120. deducuntur ex reuelatis, definire esse de fide, & contrarium damnare tamquam hæreticum; numquam tamen ita definire propositiones, quæ solum secundo modo deducuntur ex reuelatis, sed solum decernere eas esse certas, & eorum contradictorium esse periculosum aut erroneum; ut patet ex variis ipsius circa diuersas propositiones qualificationibus, sub quibus eas damnat. quare qui eiusmodi propositionem negaret, non esset ideo præcisè hæreticus, sed solum consecutus, quatenus implicite assereret Ecclesiam in suis definitionibus errare. Vide Molinam supra, & Lorcam 2.2. d.6. num. 14.

Molina.
Lorca.

127

Ad tertium, Respondeo nostram fidem nullo modo niti illa naturali cognitione aut discursu, sed solum iudicium præcedens fidem innititur; talesque propositiones non sunt de fide, propter talem discursum, sed quia reuelatae sunt; quamvis per illum discursum cognoscamus eas esse reuelatas, & consequenter illas esse de fide.

Ad quartum, nego antecedens talis enim solum cognitione merè naturali cognoscit Christum in ea hostia esse præsentem, & quidem non ita certò, quin possit ei subesse falsum; quia ipse non est omnino certus, quòd consecrans sit verus sacerdos, aut quòd habuerit veram intentionem consecrandi, cum hæc solum fide

humana credat. Ad confirmationem, nego assumptum; ut enim eam hostiam absolute adoret, sufficit quòd habeat moralem certitudinem eam esse legitime consecratam, & consequenter Christum ibi esse præsentem; qualem cognitionem sufficienter habet ex fide humana, quando non occurrit ratio dubitandi de contrario; sicut is cui ab aliis dicitur hostias tali loco positas esse consecratas, quas ipse legitime adorat, cum tamen sola fide humana sciat esse consecratas. Neceste hinc periculum idololatricæ, quia ille nullo modo intendit adorare panem, sed Christum, quem rationabiliter hinc credit esse præsentem.

Ad quintum, nego eum syllogismum esse bonum; nam, ut patet ex dictis n. 125 maior solum est vera sumpta formaliter, ac in sensu composito; quare ex ea solum potest inferri esse de fide, hunc habere characterem, posito quòd sit baptizatus; sicut in hoc syllogismo, Quicumque constitutus in clara luce habet vitum bene dispositum & oculos apertos, necessario videt præsentem lucem: atqui Iohannes est talis: ergo necessario videt præsentem lucem. consequens enim aperte est falsum, nisi addatur, Posito quòd oculos habeat apertos, &c. aut in minore addatur, Iohannes est necessario talis. nam aliis si sit contingenter talis, etiam contingenter videt, ac potest non videre.

ut hostiam
absolute ad-
orem sufficit
quòd mora-
liter certò
sciam eam esse
consecratam.

DISPUTATIO X.

Qua ratione obiectum fidei, tam formale quàm materiale sit necessario verum.

D. Thom. Hæc de re disputat D. Thom. q. 1. a. 3. ubi docet, fidei non posse subesse falsum, quia nititur testimonio Dei, qui falsum testari nequit.

D V B I U M I.

Utrum Deus per se vel per alium possit mentiri aut testari falsum?

1. **P**riterea. Vit olim hæresis Priscilianistarum qui docebant Primò, ob grauem causam, v. c. ad seruandam vitam, licere mentiri. Secundò, Deum mentiri posse, atque per Prophetas aliquando fuisse mentitum. ut de iis testatur D. August. lib. de Hæresib. c. 7. hæres. 70. & l. contra mendacium c. 2. ubi etiam ait, eos docuisse, Christum aliquando mentitum fuisse. Non se aliter, inquit, arbitrantur veracem suam ostendere falsitatem, nisi veritatem dicant esse mendacem.

S. August.

2.

Holcot.
Aluacen.

Quidam verò Catholici farentur Deum quidem numquam fuisse mentitum, nec de potentia ordinaria mentiri posse; de potentia tamen absoluta aiunt eum posse mentiri, quia non videtur ullam inuolucere implicatiam: Dei autem omnipotentia nihil est negandum quod non implicat contradictionem. Ita Holcot in 2. q. 2. ar. 8. & in 3. q. 1. a. 8. Aluacen. in 1. q. 12. a. 3. dub. 3. §.

Coninck de act. supernat.

55. proposit. 4. Adamus in 3. d. 14. q. 5. dub. 2. in fine. Gabr. verò in 3. d. 12. q. 1. a. 3. dub. 1. negat quidem Deum mentiri posse (quia hoc significat aliquem dicendo falsum peccare) concedit tamen Deum posse dicere falsum, ita tamè ut in eo nullo modo peccet, atque ita nec admittat mendacium. Sed in hoc abutitur & rebus & vocibus. Quare nos hinc pro eodem hæc accipimus mentiri, & scièter testari falsum. dico scièter, quia sicut impossibile est Deum aliqua ignorare, ita etià impossibile est eum ignoranter testari falsum.

Tertiò Nora, Deum quatuor modis posse concipi per alios mentiri. Primò propriè, præcipiendo alicui ut suo siue Dei ipsius nomine, & tamquam à Deo dicta aliqua falsa alijs enūciat; quocasu Deus & diceretur propriè per talem loqui & mentiri. Secundò, præcipiendo ei ut nomine proprio aliqua falsa dicat. Tertiò, sine villo præcepto eum ad hoc directè incitando; sicut gratia sua præueniente nos excitat ad opera bona, aut simili aliqua ratione. Quartò, producendo in eo habitum mendacij aut apprehensionem falsam, atque ita existèdo ei causam cur falsum dicat. Hic propriè agimus de primo modo, nam hinc solus propriè ad hanc difficultatem spectat: nam aliis modis non nisi impropriè aliquis per aliū mentiri dicitur: consequenter tamen etiam hinc agemus de 2. & 3. modo, de quibus verò agemus dubio 2.

Q. 3.

CON.